Digitized by Google

1907.

BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI

N.° d'inventario 1124 /1321
Sala Grande
Scansia A6 Palchetto A 2
N.° d'ord. F 11.

Digitized by Google

Google

62. 1. 3

Digitized by Google

Palat. XVIII 35

Digitized by Google

SBN
550787

ERASMI STELLÆ, LIBANOTHANI, INTERPRETAMENTI GEMMARVM. LIBELLVS VNICVS

PLINIVS SECVNDVS DE GEMMIS.

Joh. Syluius. Egranus ad lect.
Oblectant ſi te Praſii, gemmæque nitentes,
Si tibi Hyacinti, Sardonicesque placent,
Cryſolitus, durusque adamas, viridesque Smaragdi,
Purpureus Jon, multicolorque Mitrax,
Æthiopes, Cyprus, quicquid miſere vel Indi,
Si placet, & quicquid dat mare cæruleum,
Hunc lege concinna moneo breuitate libellum,
Qui dabit ingenio noſcere tanta tuo.

Sola ſalus ſeruire Deo,
Sunt coetera fraudes.

ERFVRTI ET LIPSIÆ,
Apud CAROL. FRID. JVNGNICOLIVM, MDCCXXXVI.

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
DN. JOH. PHIL. BREYNIO,
JACOBI FILIO,
MEDIC. DOCTORI CELEBERRIMO,
ACADEMIÆ IMPERIAL. LEOPOLDINO-CAROL. NATVRÆ CVRIOSOR.
ET
SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS SODALI MERITISSIMO,
MEDICINÆ PRACTICO APVD GEDANENSES NOBILISSIMO, FELICISSIMO,
FAVTORI SVO ÆSTVMATISSIMO,
HVNC PARVVM
ERASMI STELLÆ DE GEMMIS
LIBELLVM
OFFERT ET DEDICAT
OBSERVANTISSIMVS
BRVCKMANNVS,
M. D.

Digitized by Google

Franciſci Erneſti BRÜCKMANNI,

Phil. & Med. Doct. Acad. Cæſ. Leopoldino-Carolinæ
Nat. Cur. & Soc. Reg. Pruſſ. Scient. Colleg. & Po-
iiatri Wolffenb.

Præfamen

Ad

Tertiam Eraſmi Stellæ Interpretamenti de
gemmis editionem.

DOctor Eraſmus Stella, alias *Stueler, Lector beneuole, Vir ſui temporis clariſſimus, Phyſicus & Senator præcipuus, natus Libanothæ in Miſnia, hinc Libanothanus dictus, adepto Medicinæ Doctoris titulo, honore & priuilegiis, Hiſtoriarum ſtudium imprimis excoluit, denique etiam Cygneæ Conſul factus eſt; edidit libellum vnicum Interpretamenti gemmarum, qui lucem prima vice in Monte Noricorum in 4to adſpexit, & a Federico Peypo Menſe ſextili anno partus virginei* 1517. *in typographeo ibidem impreſſus. Liber hic ſit licet ſaltim paruus & quinque tantum, cum dimidio, foliorum, omnium tamen gemmarum & pretioſorum lapidum candidorum, viridium, rubrorum, cæruleorum, nigrorum &c. perbreuem accuratamque exhibet notitiam. Genus ſcribendi & latinitatem quod concernit, autor quidem interdum cum Euandri matre loquutus fuit, interim tamen omnia ad genium ſui ſeculi & antiquitatem iis temporibus exarauit. Altera editio dicti rarioris ſpeciminis de gemmis, Argentorati, per Henricum Syboldum, Anno* 1530. *in charta octuplicata prodiit, cui* Plinius *ſecundus, ob materiarum conuenientiam, de iisdem lapidibus admodum concinne adiectus fuit. Hoc opuſculum*

Digitized by Google

ex octo foliis conſtat. Editio prior in 4to aliquid habet, quod ſecundæ in 8vo deficit, & rurſus iſta altera in charta octuplicata quædam legenda offert, quæ priori in 4t. deſunt. Ex dictis binis hæc tertia editio, cum liber rariſſimus ſit & in inſtructisſimis magnorum principum bibliothecis noſtro hoc æuo tantum proſtet, augmentata, & correctior prioribus, orbi litterato porrigitur, & ſic in hoc tertia omnes prioris & poſterioris lacunæ reſartæ ſunt. Speramus hoc diu deſideratum opuſculum non ingratum rerum naturalium & gemmarum amatoribus & collectoribus fore. Reliquum, Lector beneuole, vale & faue. Scrib. Wolffenb. e Muſeo noſtro, Menſ. Jan. 1736.

Joan. Cornarius, Cicneus, ad Spectatorem.

Gemmarum vires, virtutem & noſcere gliſcens,
Otius acceleret, nam has dabit iſte liber.
Conſulere in medium tendens quem noſter Eraſmus
Congeſſit multa ſedulitate. Vale.

Gvolfius Ciclopius, Cigneus, ad Lectorem.

Noſcere ſi gemmas cupis, aut lapides, precioſas,
Quas maris aut terræ viſcera operta fouent,
Quas Lybicus Nilus, Tanais, vel Sarmatus, aut quas
Rous Ganges, Heſperiusque Tagus;
Thratius aut Hebrus, Padus Italus, Indus Hydaſpes
Lydius aut Hermes, biregiusque Varus.
Aut in ſaxoſis immenſi montibus orbis
Quas parit occulto ſaxea fibra loco.
Hunc relegas latio ſcriptum ſermone libellum
Qui Ciceroneo, crede, lepore ſcatet.
Hic gemmæ inuenies quæ ſit cuiusque figura
Quis color, aut nomen, conditioque, vigor.
Quas natura parit, vel quæ conflantur ab arte
Quotue quibus conſlent experimenta modis.
Ploena velut retinent varias granaria fruges
Plurima quas ſparſis arua tulere locis.
Hæc ita conſpicies modica congeſta papiro
Quæ vix inuenies tradita mille libris:
Redde igitur meritas grates pro munere tanto
Autori, ingenuum qui dedit iſtud opus.

Joan.

Digitized by Google

Joan. Cornarius, Cigneus, Lectori S.

Eraſmi Stellæ, Libanothani, de gemmis opuſculum, humaniſſime Lector, æqui boniqꝫ facito, quod ſumma vigilantia ſuoque, vt ipſe inſit periculo, exeruditiſſimis quibusque, tum Græcis, tum Latinis Scriptoribus comportauit, ac in tuum, omniumque ſtudioſorum commodum & vtilitatem publicauit, in quo, ſi qua accepta reperies, tibi plaude, ac in vſum tuum conuerte. Si vero contra quædam diſplicuerint, nimiſque aſpera vel dura videbuntur, tua humanitate id efficito, vt leuia, polita & haud iniucunda fiant. Si autem deeſſe quid ſenties, hoc cogites, quod ipſe ſcriptor non omnia ſed quæ ſibi optima & fertiliſſima videbantur, agro ſuo inſerere conatus eſt. Ego, cum vino vendibili ſuſpenſa hedera nil eſſe opus norim, ab inanibus ac faſtiditis opuſculi atque ipſius autoris laudatiunculis me ſubtraho, ſatis ſuperque ipſum opus ſe, ſuumque artificem commendare ratus. Vale.

Ampliſſimo Patri Domino Jobo, Eccleſiæ Pomeſamienſis Præſuli, ſacroſanctae militiae theutonicorum Primati, Eraſmus Stella, Libanothanus, ſalutem plurimam dicit.

Quum nuper, Ampliſſime Præſul, in ea coena, quam tibi modicam, & ferculis gratiarum numerum non excedentem, in domo mea paraueram, de gemmis (quibus natura nihil abſolutius edidit) pleraque a conuiuis dicerentur, ac ab vno, alteroque, quas Rubinos, Granatos, Amandinos, Thurciſcos, Citrinos appellant, prolatæ eſſent, preciaque, vt ſingulorum libido fuit, ſingulis ex huiusmodi nuncupatione addicta. Tum ego præcipiti magis, quam deliberato ſermone, in eam ſententiam dicere coepi. Me non parum admirari viros, alioqui doctos, in his rebus, quæ natura tanta ornaſſet pulchritudine, barbara ac plebeia vti nuncupatione, vt ſcil. Carbunculos, Rubinos, Lichnites, Amandinos, Sandareſios, Granatos, Chriſolitos, Citrinos, dicerent, & pleraſque alias ineptiſſimis vocabulis appellarent, quæ tamen elegantiſſimis nominibus apud Scriptores, tum Græcos, tum Latinos celebrarentur. Tunc quidam importuniores, gratiis (quæ conuiuiis præſunt) renunciantes, vociferare occoepere, gemmas huiusmodi a ſcriptoribus quam plurimis ita appellari, lapidarium & alios, hiſtoriam naturalem deturpantes verius, quam ſcribentes, citauere. Quibus vt modeſtius reſponderem, inquam, me nihil magis horum de his facere auctoritatem, quam mangonum loquacitatem. Tu, Digniſſime Præſul, pro tua animi prudentia, ita es orſus dicere: præter id, quod gemmis nihil a natura abſolutius formatum ſit, do-

dotibuſque magnificis præditum, id eis ceu magnum & mirandum ineſſe, quod impetu quodam mortalium animos ad ſui deſiderium alliciant. Hoc teſtari ſatis poteſt, quod res tam puſilla, nec probe cucumeris ſemen excedens, tam pluris veniat. Quā argutiſsima ratione inſinuare viſus es, id cæca origine gemmis, ceu plerisque aliis, inditum, vt homines ad ſui amorem alliciant, cui tuæ ſententiæ ex media philoſophia effluxæ adſtruendæ, quum dixiſſem id ita habere ſeſe, ſatis ſuperque ſatis clarore exemplo illo, quod a ſcriptoribus refertur, qui aiunt Hiſmeniam tibicinem gemmis multiiugis abundantem, in Cypro indicata Smaragdo ſex aureis denariis, in qua ſculpta Amione fuerat, quum hos numerare iuſſiſſet & ſibi duo relati eſſent, indignatum, maleque curatum exclamaſſe, precio imminuto, tanquam per hoc etiam dignitati gemmæ detractum foret. Nonne tu quadam abdita vi Hiſmenias pellectus fuiſſe creditur, vt pluris coemptam cuperet gemmam, quum in cæteris cara emptio ſemper coarguat emptorem. Addidique amorem contumacem quorundam, ceu Nonii ſenatoris, proſcriptionem ſui potius eligentis, quam vnius gemmæ amiſsionem, quum tamen fere abroſas partes corporis relinquant, propter quas ſe periclitari ſentiunt. Ad hæc tu: Quænam hæc gemma foret, quam tantopere & ad inſaniam Nonius adamaſſet, quam ego Opalum quum dixiſſem, conuiuæ cæteri Orphanum me dicere debere clamitabant, detractiſque annulis Cryſtallinas aſterias produxere. Ecce Orphanum inquiunt, de quo dicere voluiſti, ego vt illis reſponderem aliud habui nihil, quod me de Opalo apud eruditos legiſſe, de Orphano vero nuſquam, tum vnus. At Albertus, qui cognomento Magnus nuncupatur, inter philoſophos nulli ſecundus, de Orphano ſcriptum reliquit, & ipſum in Imperatorum diademate a ſe viſum teſtatur. Cui vt reſponderem, in eam ſententiam prorupi, me multum cupere noſtrum Poliphemum, ſi hæc ſcripſiſſet, nihil magis in hiſtoria naturali peccaſſe quam hoc ipſum. Sed tamen pro Alberto hæc verba ſubieci, me nequaquam credere virum, tam doctum ac omnifaria diſciplina clarum, hæc ignoraſſe, ſed vitio librariorum, qui Opali loco Orphani nomen ſubſtituere, id veniſſe, ob id eliminandum, obeliſcoque expungendum in Alberti codicillo hoc vocabulum, Opalumque eius loco inſcribendum fore, tum tua paternitas reuerendiſsima, vt Opalum & tibi & conuiuis deſcriberem a me exegit, vt in hoc morem gererem, dixi: Opalum gemmam, cui Carbunculi tenuior ignis, Amethyſti fulgens purpura, Smaragdi virens mare ineſt, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia, cui alii ſulphuris ardentem flammam, alii oleum igne accenſum æquauere, quibus verbis ſummo animi deſiderio in hanc exarſiſſe gemmam viſus es; In te quoque teſtari ſententiam, quam ab initio ferebas, ineſſe gemmis quoddam cæcum abditumque, quo homines ad ſui amorem allicerent. Vt igitur quicquam de gemmis ex eruditorum ſententia conſcriberem, mihi prouinciam iniunxiſti. Quanquam diu reniſus iuſsis tuis, & eam, veluti rem

ar

Digitized by Google

arduam, ac humeris meis imparem, detrectans, cum rem barbarie infectam, ad cultiorem orationem traducere res plena timoris ſit. Tum ob naſutum quorundam iudicium, qui canino dente nihil non inuadunt, & , ſi non mordent, ſaltem oblatrant, tum ob aliorum ſocordiam, qui nihil horum, quæ de natura eiusque mirandis effectibus dicuntur, probant, niſi quod triuialibus aſſertionibus tradatur. Victus tamen, partim, vt tuis præceptionibus obſequerer, partim, vt communi vtilitati conſulerem, hoc laboris genus mihi aſſumpſi. Quo ſimul paternitas tua ampliſſima agnoſcat, nihil tam arduum, tam difficile fore, quod tui cauſa non auderem; Nec quiſquam rem facilem id lucubrationis genus exiſtimet velim. Sunt enimvero in eo montes altiſſimi Indiæ & Arabiæ, ſub exuſtis ſyderibus poſiti, mihi ſuperandi. Abdita quoque terrarum fibræ ſcrutandæ, flumina & maria, vrinantium more, ſubeunda, quo ſincerum inuiolatumque tibi quicquam de gemmis ex his ſuis peculiaribus ſedibus afferam, vt ſimul & naturam abſolutiſſimam gemmarum cognoſcas, & fraudem, quæ ingeniorum calliditate hanc ornatiſſimam materiam deturpauit deprehendas. Ut autem laboribus tam grauibus ſufficiam, comites mihi aſſumpſi, imo duces, Theophraſtum ex Græcis, Plinium ex Latinis, quorum nauata opera rem ſuſceptam impigre expediam, dicam autem de gemmis per genera colorum principalium; nec tamen de omnibus, ſed de his duntaxat, quæ noſtro orbi quoquo modo vſui ſunt. Et id quidem ſermone facili, & quoad poſſum minime obſcuro, quo is & ſympoſiis conueniat, & quid de re ſplendidiſſima ornatiſſimaque, oratione lucidiori dicere aptiſſimum iudico. Accommodabit ſeſe hæc noſtra traditio ſermoni conuiuali, qui in conuiuiis cœptus eſt, & præter id quoque comis faciliſque ſit, etiam quadam illecebra voluptate vtilis eſſe debet, quo ingenium noſtrum illuſtrius fiat, & amœnius. Sed ad inſtitutum pergamus negotium, ab candidis gemmis initium ſumentes, de quibus pars prima conſtituatur.

Egregio ac ornatiſſimo viro, Sebaſtiano Hugelio ex Heilgenſtein, Jurium ac humanarum literarum in inclito Heidelbergenſium Gymnaſio, ordinario Profeſſori, ac nuper deſignato Rectori, Henr. Sybold, Med. Profeſſor.

S. D.

Qui margaritam aliquam annulo incluſam pro Xeniolo donat amico, is munus neutiquam aſpernabile donaſſe vulgo creditur, Suauiſſime Sebaſtiane! At nos pro

in-

ineuntis anni, ac Magiſtratus tui felici ingreſſu & ſucceſſu non margaritam aliquam, ſed delectum quendam gemmarum theſaurum, parauimus & deſtinauimus tibi, theſaurum, inquam, non quidem ex Indiæ, aut Arabiæ montibus, ſed ex claris vtriusque linguæ autoribus congeſtum, Collectore Eraſmo Stella, *viro non vulgariter erudito, qui inſigniores lapillos, fere vbique in vſu, & delitiis habitos, in hunc libellum, ceu gemmeam quandam coronam, concinnauit. Idque per genera colorum. Eum libellum dicamus humanitati tuæ, ob veterem tuam in nos beneuolentiam. Non tam vt agnoſcas maieſtatem, & occulta quædam naturæ miracula in lapillis, quam etiam vt ingenii laſſitudinem ex ſeriis laboribus & ſtudiis contractam, hoc laxamento, velut inſpecto Smaragdo reficias. Placitum eſt nobis quoque adſuere iis poſtremum librum C. Plinii Secundi de gemmis, quod is liber huic opello, argumento conſimili non inepte cohærere videbatur. Arbitramur etiam ex Pliniano ſole non parum lucis Stellæ noſtro acceſſurum. Quæ ſimul omnia exacto iudicio tuo, tanquam Lydio quodam lapide, probanda & tuenda ſubiicimus, Noſque tuæ humanitati commendamus. Bene vale. Argentorati ex ædibus noſtris. Calendis Januariis.* 1530.

Interpretamenti Gemmarum Eraſmi Stellæ, Libanothani, Libellus.

Pars I.

De Gemmis candidis.

Cap. I.

De Adamate.

Ἀδάμας. *A*Damas, gemma candidi coloris tranſlucida, maximum in rebus humanis non ſolum inter gemmas precium ſemper habuit, diu non niſi regibus, & his admodum paucis, cognitus. Vnus enim eſt, qui in auro naſcitur, attamen perquam raro auri comes. Eius ſex ſunt genera: *Indicus*, non niſi in auro naſcens, ſed quadam Cryſtalli cognatione, cui adæque ſimilis ſplendore liquidiſſimo, & in mucronem ſexangulum vtrinque leniter turbinatus, nec vltra magnitudinem auellani nuclei repertus. Eſt & *Arabicus* huic proximus, ſed minor eo, ſimiliter & in auro naſcens, cæteris pallor natalis ſedis auri ſcil. ineſt; indomita vis eſt vtriuſque generis adamanti (vnde & nomen inditum gemmæ) vt nec

Digitized by Google

nec caleſcat igni, nec ferro cœdat, quin magis reſpuens ictum, vt ferrum ſimul & incudes diſſiliant; Alterum genus ex eis *Cenchron* vocant, quod eſt milii magnitudine. Eſt & *Macedonicus* in Philippico auro repertus, qui & ſemine cucumeris par eſt; poſt hos eſt *Cyprius* in Cypro repertus, vergens in æreum colorem. Poſt hunc *Siderites*, ferrei ſplendoris, pondere ante cœteros, ſed natura diſſimilis, nam ictibus frangitur, & alio adamante perforatur, quod & in *Cyprio* euenit; Sunt igitur degeneres, nominis tantum autoritate gaudentes. Frangitur inuicta vis iſta, duarum rerum violentiſſimarum contemptrix, ignis ſcil. & ferri, hircino ſanguine, ac ne aliter, quam recenti, calidoque macerata. Cum Magnete vſque adeo diſſidet, vt iuxta poſitus ferrum abſtrahi non patiatur, aut ſi admotus Magnes ferrum apprehenderit, adamas rapiat atque auferat; adamas & venena irrita facit, & limphationes abigit, metusque noctis a mente expellit. Metrodorus Sceptius in Germania in inſula, quæ Balthia nominatur, vbi & ſuccinum gignitur, adamantem naſci tradit. Quod falſum eſſe quis dubitat? in Germania quidem Adamantem inueniri Plinius teſtatur, ſed non ea duritia nec ſplendore, quo coeteri. Præter id enim quoque ſine gratia pallent, ſcabri etiam ſunt. In montibus Miſſinæ, qui Sudete a Ptolomeo dicuntur, hunc inueniri dicunt, qui metalla ſcrutantur. Eſt & *Androdamas*, quem de Adamante nonnihil mutuatum putant, argenti nitorem habens, vt adamas, quadrata & teſſalis ſemper ſimilis, datum ei nomen ex eo cenſent, quod animorum calentium mollit impetus, & tumentes refrenat iras, hunc Arabes legunt.

Cenchron. *Siderites.* *Androdamas.*

Cap. II.
De Cryſtallo.

Cryſtallus & gemma albi coloris eſt, quam glaciem, vehementiori gelu concretam, nonnulli putant, eam ob rem glaciei nomen habet, Græci enim cryſtallum gelu concretum appellant, ſed Plinius coeleſti humore paruaque niue id fieri aſſerit, non enim aliubi, quam quo loco maximæ niues hibernæ rigent, deprehenditur, niſi torrente aliunde deportatur. Inter eos, quos Oriens adminiſtrat, *Indicus* omnibus præfertur, viliſſimus circa *Alabandam* & *Orthoſiam* finitimisque montibus, & in *Cypro* naſcitur; laudatior qui in Alpium iugis & in Germania reperitur; eſt caloris impatiens, nec aliud quam frigidum ferre poteſt; ob id non, niſi frigidis, quæ ex ipſo fiunt vaſa, addicanda ſunt ſex-

κρύσταλλος.

 an-

Digitized by Google

angulis lateribus, cuius lenor ita abſolutus eſt, vt nulla arte poſſit æquari, magnitudo eius ampliſſima eſt. Liuia Auguſta pondere quinquaginta librarum inter Capitolina dona cryſtallum dedicauit. Xenocrates autor eſt, vas amphorale ex eo viſum. Alii ſextariorum quatuor cryſtallum viſum aſſerunt, cubitalem effoſſam a Pythagora, Ptolomei Regis Ægypti præfecto, traditum eſt. Nero, Princeps, amiſſarum rerum nuntio accepto, duos calyces cryſtallinos in ſuprema ira fregit, ne quis alius ex his biberet; fragmenta ſarciri nullo modo queunt; infeſtantur autem plurimis vitiis, ſcabro, ferrugine, maculoſa nube, occulta aliquando vomica, præduro facilique centro & ſale; eſt & aliquibus ruffa rubigo; aliis capillamentum rimis ſimile; hoc artifices cælatura occultant. Puræ præſtantiores ſunt, acentraque appellantur, i. e. ſine punctis centrisque. Medici tradunt, quæ in corporibus vrenda ſunt, non vtilius fieri poſſe, quam cryſtallina pila, aduerſus ſolis radios oppoſita, nam & materia ſicca adhibita flammam excitat. Plura magorum vanitas de his promittit, quæ credere nec pium eſſet. Eam & medici vim habere dicunt, quod ore geſtata ſitim reſtringat, & renibus ſuſpenſa mederi. Nonnulli tradunt, ſi trita cum melle a muliere ſumatur, lac ciere. Tinguntur ex eis ſmaragdi, aliæque translucentes, quod diſcernere haud facile eſt.

Caput III.
De Iri.

Ἶρις. *Iris* radicem Cryſtalli habet, ex argumento *Iris* vocata, nam radiis icta ſolis, rutilo aëris repercuſſu, coeleſtis arcus ſpeciem in proximos parietes iaculatur; inuenit Iridem Arabs in Mari rubro, ſicut Cryſtallum ſexangulatum a Beronice vrbe ſexaginta millia paſſuum, ob id quidam eam prætermutatam varietatem cryſtallum dixere, eſt autem lateribus ſcabris & angulis inæqualibus. In ſole aperto proiecta radios in ſe recandentes diſcutere dicitur, aliquas vero, ante ſe proiecto nitore, adiacentia illuſtrare referunt. In ſole coloribus carere, colores vero non, niſi ex opaco, reddere, nec vt ipſæ habeant, ſed vt repercuſſa parietibus illidant; optima eſt, quæ maximos arcus facit, ſimillimos coeleſtibus. Reperitur & *Iris* in Germania, in montibus circa Treuerim. Eſt alia Iris coeteræ ſimilis, ſed prædura, quam crematam tuſamque ad ichneumonum ſerpentum morſus remedio eſſe dicunt; *Zeros* ſimilis aſpectu eſt, ſed non eiusdem affectus alba nigraque macula in transuerſum cryſtallum diſtinguente.

Zeros.

Digitized by Google

Cap. IV.
De Ceraunia & Aſtroite.

Eſt & inter candidas *Ceraunia*, cryſtallini ſplendoris, quæ fulgorem ſyderum rapit, habetque intus ſtellam concurſantem. Quanquam & hebetes fieri Ceraunias aliqui ſcripſerunt, quas vitro & aceto maceratas concipere ſtellam dicunt, quæ poſt aliquot menſes relangueſcat. Similiter candida eſt, quæ *Aſtrios* vocatur, cryſtallis propinquans, in India naſcens, cui intus a centro lucet ſtella, fulgore lunæ plenæ, hæc & aſtris oppoſita fulgorem rapit & regerit. Optima in Germania gignitur, nullaque minus vitio obnoxia eſt; peſſima lucernarum lumini ſimilis; Magi miris laudibus celebrant *Aſtroitem*, de eaque Zoroaſtrem ceciniſſe aiunt. *Aſtrios.*

Cap. V.
De Pederote.

Candidarum dux eſt *Pederos*, prærogatiua decoris hoc vocabulum retinens, quæ per alienas pulchritudines vndique iactatur; Genus hoc eſt expectatione dignum, coeunt enim in translucidam Cryſtallum, viridis ſuo modo aer, ſimulque rubens purpura, & quidam vini aureus nitor, ſemper extremus in viſu, ſed purpura coronatus, hoc modo gemma madere ſingulis videtur, & pariter omnibus, nulla gemmarum æque iucunda & ſuauis eſt oculis: laudatiſſima eſt Indis, apud quos *Argenon* vocatur; proxima apud Ægyptios, vbi *Senites* nominatur; tertia in Arabia, verum ſcabra prouenit. Mollius radiat Pontica & Aſiatica, molliores vero ſunt Calleſtica, Thratia & Cypria; contra neruorum moleſtias proderit *Pederos*. *Pederos.* *Argenon.* *Senites.*

Cap. VI.
De Aſteria.

Proxima candicantium eſt *Aſteria*, incluſam lucem, pupillæ modo, retinens, ac transfundens cum inclinatione velut intus ambulantem, ex alio atque alio loco reddens: Eademque contraria ſoli, regerens candicantes radios, vnde & nomen accepit. Eſt difficilis ad cælandum; in *Carmania* nata, præfertur *Indica*. *Aſteria.*

Digitized by Google

Cap. VII.
De Achate, & ſibi vicinis.

Achates. *Achates* olim in magna fuit autoritate, nunc plebeia gemma, vitreæ perſpicuitatis eſt; quamuis varii ſæpe in ea colores conſpiciantur, ex hoc & cognomina accepit. Primum in *Sicilia* reperta eſt, iuxta flumen eius nominis, poſtea & in *India* plurimis locis. Referunt autem Indici ſpecies nemorum, fluminum, iumentorum & aliarum rerum vt edere ornamenta equorum & id genus. Pirrhus, qui contra Romanos bellum geſſit, habuiſſe traditur Achatem, in qua nouem Muſæ & Apollo, cytharam tenens, ſpectabatur, non opere artificis, ſed ſponte naturæ, ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis inſignia redderentur, quæ Thebis Ægyptiis repertæ ſunt, rubentibus venis & albis. *Phaſpatates.* Species eius multæ extant, *Phaſpatates*, quæ colorem colli columbarum imitatur, Jaſpidis ſeu Smaragdi aliquid habens, ob id ab aliis *Jaſpiachates* dictus. *Jaſpiachates. Cereachates.* *Cereachates*, quæ facie cerea eſt; & hi, quia triuialiter abundant, negliguntur. *Sardachates. Hemachates. Leuchachates. Dentrachates. Andachates. Coralloachates.* *Sardachates*, quæ Sardæ ſimilis eſt. *Hemachates*, quæ ſanguineis maculis irrubeſcit. *Leuchachates*, quæ alba eſt. *Dentrachates*, velut arbuſtula geſtanti, feracitatem fructuum portendere dicitur. *Andachates*, quæ, quum vritur, myrrham redolet, & ob id mulieribus grata. *Coralloachates*, quæ Corallio ſimilis, & guttis intermicantibus illuitur; *Sacron.* Hanc Creta profert, & illic *Sacron* appellatur; Putant Achatem contra araneorum & Scorpionum ictus prodeſſe, quod in Siculis maxime expertum eſt, quum per eam eius prouinciæ ſcorpionum peſtis extincta eſt. Indicæ contra eadem pollent, & aliis magnis miraculis; ſitim etiam ſedant in os aſſumptæ; ſpectaſſe has oculis prodeſt, ob id medici ex his coticulas faciunt. Ægyptii contra ſerpentes validi ſunt, eademque autoritas & Cypriis eſt. Quidam maxime probant, quæ vitream perſpicuitatem habent; magi aſſerunt, quæ leoninæ pelli ſimiles ſunt, potentiam habere contra ſcorpiones, in Perſia vero ſuffitu earum tempeſtates auerti & flumina ſiſti. Argumentum eius eſſe, ſi in feruentes cortinnas fuerint proiectæ, eas frigefaciunt. Id Albertus Topazio adſcripſit, quam mellei coloris dixit, non præuidens hanc Achatem eſſe leoninæ pelli ſimilem, quæ vt proſit leonis iubis alligandam præcipiunt, ceu hienæ pelli ſimilem abhominantur diſcordialem domibus, eam vero, quæ vnius coloris eſt, inuictam athletis eſſe. Argumentum eius fore, quod in olla plena olei cocti cum pigmen-

Digitized by Google

pigmentis, & intra duas horas ſubferuefacta vnum colorem ex omnibus faciat minui, oſſaque in aqua feruenti ſi immittas liquefieri, plurimorum opinio fuit; Achatem tertianis & quartanis vtilem; qui aliquid Jaſpidis ſeu Smaragdi habet, hydropicis, epatiis, peripnevmonicis & pleuriticis opitulari, inſuper & potus floridum corpus ac iuuenile aſſeruare; *Cepites* ſiue *Cepocapites*, etſi proprii generis eſſe traditur, vicinitatem tamen magnam cum Achate habet, candida enim eſt & venarum nodis coeuntibus candorem imaginem regerit; appropinquant & Achati *Cepionides*, ad Dardanum pagum naſcentes, multis coloribus translucidæ, alias vitreæ, alias cryſtallinæ, alias Jaſpideæ, quibus & ſordidis tantus eſt nitor, vt imagines reddant ceu ſpecula; *Capnites* videtur quibusdam ſuum genus habere, pluribus ſpiris fumida, quanquam huic vicinus; *Oſtracites* eſt Achati ſimilis. Eſt & altera dura, cuius fragmentis aliæ gemmæ ſcalpuntur, *Chelonia* oculus eſt Indicæ teſtudinis, portentiſſima magorum mendaciis, aiunt enim melle, ore colluto, impoſitam linguæ, futurorum diuinatione præſtare.

Cepites. Cepocapites. *Cepionides.* *Capnites.* *Oſtracites.* *Chelonia.*

Cap. VIII.

De Draconite.

Draconites ſ. *Drachontias*, e cerebro draconum eruitur, ſed, niſi viuentibus abſciſſa, nunquam gemmaſcit, nam ſi obeat prius ſerpens, cum anima ſimul euaneſcit. Igitur mos eſt, vt dormientibus animalibus caput amputent, qui id facturi ſunt, bigis vehuntur, & dracone viſo, ſpargunt ſomnifica medicamenta, atque ita caput præcidunt; eſt colore translucido, nec artis lenocinium admittit, ſed quicquid in eo nobile eſt, non alterius, quam naturæ opus eſt; vſu earum Orientales Reges præcipue gloriantur; Marſilius Ficinus refert vidiſſe ſe lapillum, Florentia ex India aduectum, ibi e capite draconis extractum, rotundum, ad nummi figuram, punctis ordine quam plurimis, quam ſtellis naturalibus, inſignitum, qui aceto perfuſus, mouebatur in rectum, imo obliquum, mox ferebatur in girum, donec exhalaret vapor aceti. Talem ego vidi apud nobilem mulierem in arce Pleminia agri cignei, qui aceto immiſſus mouebatur ſaltuatim in rectum, mox & in girum,

Draconites, Drachontias.

Cap. IX.

De Allectorio.

Allectorius. *Allectorius* cryſtallo ſimilis, fabæ in modum in ventriculo gallinaceorum repertus, aptus, vt dicunt, pugnantibus, eo Milonem Crotonienſem in certaminibus vſum tradunt, victoremque ſemper euaſiſſe. Milon porro, Priſci Tarquinii temporibus, emicuit, cui elogium extat: Victor ille omnium certaminum obiuit. Inſuper & mulieres placidas viris reddere aiunt; Cynodiæ inueniuntur in capite piſcis, eiusdem nominis, candidæ & oblongæ, eaque mirandæ, ſi modo fides eſt, præſagire eas habitum maris colore ſuo nubilo, aut tranquillitatem aſſerunt.

Cap. X.

De Margaritis.

Μαργαρίτης. Dicamus & de margaritis inter candicantes, quo in candore præcipuus earum vigor conſiſtit. Oceanus Indicus has mittit, fertiliſſima eſt Taprobane & Perinula Indiæ Promontorium, etiam Britannicum littus, quarum ſpe, Julius Cæſar & poſt eam Claudius ipſam inuaſere, Thoracem namque, quam Diuus Julius Veneri genitrici in templis eius dicauit, e Britannicis margaritis factam, ſubiecta inſcriptione, teſtatus eſt; Hodie & in Germania pleriſque in locis inueniuntur, ſed nobiliores in Elestro amne Tubantinorum loco haud remoto ab eius fonte, nec eas admodum longo curriculo profert, parum enim infra Pleboniam, quam alluit, legi deſinunt in eo margaritiferæ conchæ, etiam apud Snironas Septentrionales Oceani populos, vbi hodie Suedia eſt, leguntur; inprimis autem probantur, quæ circa Arabiam ſunt in Perſico ſinu Maris rubri; conchæ haud multum ab oſtrearum conchis diuerſæ ſunt, in quibus hoc genus gemmarum requiritur, hinc margaritiferæ nuncupantur, hæ, vbi libidine genitali ſtimulantur, pandunt ſeſe, & quodam roſcido conceptu grauidæ fiunt, deinde pariunt margaritas, pro qualitate roris accepti; ſi purus influxit, candorem conſpicuæ ſunt; ſi turbidus, ſordeſcit & foetus; ſi tempeſtiue ſatiantur, partus grandeſcunt; ſi fulgurat, comprimuntur conchæ, &, pro ieiunii modo, minuuntur. Tonitruis pauefactæ & repente compreſſæ, faciunt, quæ vocantur *Phiſemeta* a bullarum ſimilitudine; inde conſtat eis coeli maiorem ſocietatem, quam maris eſſe, nam inde trahunt colorem nubilum, &, pro claritate matutina, ſerenum; margaritæ etiam ſole rubeſcunt, candoremque perdunt, ad ſimilitudinem huma-

ni

Digitized by Google

ni corporis. Flaccеſcunt etiam ſenecta, ac rugis torpeſcunt, nec, niſi in iuuenta, ille conſtat, qui quæritur vigor; Quæ ab vna parte rotundæ ſunt, ab altera planæ, ad tympanorum ſimilitudinem, *Timpana* nominantur. Tradunt huiuſcemodi conchas, quam apes examina facere. His duces eſſe, quæ vetuſtate & magnitudine præcipuæ ſunt, eas vrinantium cura peti, nam miræ ad cauendum ſolertiæ ſunt, quibus captis coeteras palantes retibus facile includi. Nunquam duæ margaritæ ſimul reperiuntur, ſed ſemper diſcretæ & vnæ, ideoque *Uniones* dictæ ſunt. Maximus in his hominum luxus ſemper fuit. *Uniones.* Qui Alabaſtrorum figura ſunt, in pleniorem orbem deſinentes, hos digitis ſuſpendere & binos ac ternos auribus foeminarum gloria fuit; vltra ſemiunciales inuentas veteres, ſcriptores negant, duos fuiſſe conſtat vniones ob magnitudinem toto orbe celeberrimos, vtrumque Cleopatra, Ægypti Regina, poſſedit, quorum cum alterum ex auribus detractum, & in vaſculum aceti poſuiſſet, ſpectante Antonio, liquefactum abſorbuit; iniectaque altera manu, & idem faceret, a Planco prohibita fuit; is poſtea vino diſſectus in duas partes, in vtriſque auribus Veneris Romæ in Panthæo poſitus fuit. Lolliam Paulinam C. Principis coniugem vulgatum eſt ita opertam ſmaragdis & margaritis, vt ſumma quadringenties ſeſtertium faceret. Id expreſſit vetus diligentia, qua Syllanis temporibus primum illati ſunt vniones.

PARS SECVNDA.

De Gemmis Viridibus.

Cap. I. De Smaragdo.

Smaragdi inter virides gemmas primariæ ab omnibus habentur, quod nihil his iucundius, nihil viridius vident oculi. Inprimis *Smaragdus.* virent vltra aquaticum gramen, vltra amicas herbas; deinde oculos, quos fulgor alterius gemmæ retuderit, Smaragdi recreant exacuuntque, vt in ſcalpentibus gemmas videmus, quibus nulla gratior refectio eſt, acie oculorum obſcurata, quam ſmaragdi inſpectio; nec aliam ob cauſam placuit, vt non ſculperentur, ne offenſum decus imaginum lacimis corrumperentur, quamquam quæ vera eſt difficulter vulneretur; probantur hoc pacto, ſi aſpectus transmittant, ſi proximum ſibi inficiunt aerem, repercuſſu, non vmbra, non ſole, non lucernis mutatæ, ſed ſem-

per

per ſenſim radiantes & ad craſſitudinem ſui viſum admittentes facilitate tranſlucida; quæ ex eis concauæ exiſtunt, viſum colligunt, quarum corpus extenſum eſt, eadem qua ſpecula ratione, ſupini rerum imagines reddunt, ob id Nero Princeps gladiatorum pugnas Smaragdo ſpectauit. Genera duodecim ſunt, præcipua *Schytica*, quod nullis minus vitii ineſt. Et quantum Smaragdi a coeteris gemmis diſtant, tantum Schyticæ ab aliis ſmaragdis, ſuntque ea duritia, vt nequeant vulnerari. Proximam laudem habent, *Bactrianæ*, quas in commiſſuris ſaxorum Eteſiis flatibus colligunt, tunc enim detecto ſolo facillime internitent, quia his ventis maximæ arenæ mouentur, ſunt tamen multo minores Scythicis. Tertium locum *Ægyptia* habent, quæ eruuntur, circa Copton, oppidum Thebaidis, in collibus & cautibus, hæ alacriter virides ſunt, non tamen facile puræ aut concolores. Reliqua genera in metallis ærariis inueniuntur, quos *Chalcoſmaragdos* vocant; ex his principatum *Ægyptia* tenent, doſque earum eſt in colore liquido, nec diluto, verum ex humido pinquique conſpiciuntur, imitante tranſlucidum mare; referunt ſcriptores, quod in Caea inſula, in tumulo Regis Hermiæ marmoreo, leoni fuiſſe inditos oculos ex Smaragdis, ita radiantibus in gurgitem, vt territi piſces inſtrumenta refugerent, diu mirantibus nouitatem piſcatoribus, donec, re cognita, mutauere oculis gemmas. Sed vt & vitia noſcantur, quæ ſunt quidem omnium eadem, quamuis quædam nationum peculiaria. Sunt *Cypriæ* variæ, glaucæ, magiſque ac minus in eadem Smaragdo; aliis partibus tenorem Scythicæ auſteritatis non ſemper cuſtodientibus, quibuſdam etiam intercurrit vmbra, ſurduſque fit color, qui improbatur etiam dilutior. Hincque genera diſtinguuntur, & ſunt aliquæ obſcuræ, quas vocant coecas, aliæ denſæ nec e liquido tranſlucidæ, quædam varia nubecula improbatæ. Aliud eſt enim hoc quam vmbra; Nubecula enim albicantis eſt vitium, quum viridis non pertranſit aſpectus, ſed aut intus occurrit, aut excipit in fine viſum candor. Hæc tantum coloris ſunt vitia, iſta corporis, capillamentum, ſal, plumbago, his vitiis carent Æthiopicæ, quæ haud longe a Copto inueniuntur; in hoc Genere Democritus poſuit Hermicas & Perſicas, illas pinguites extumeſcentes, Perſicas vero non tranſlucidas, ſed iucundi tenoris. Viſum enim implent, quem non admittunt, ſimiles felium Pantherarumque oculis, namque & illos, radiare nec perſpici comperimus, eaſdem in ſole hebetari, in vmbris refulgere, & longius, quam coeteras nitere; omnium etiam harum vitium eſt, quod fellis colorem aut æris habent, in ſole dilucidæ quidem ac liquidæ, ſed non virides. Hæc vitia & in Atticis maxime ſentiuntur, in argentariis metallis repertis in loco, qui Thorloos vocatur in Attica regione, quæ ſemper minus pingues ſunt, & e longinquo ſpe-

Chalcoſmaragdus.

Digitized by Google

ſpecioſiores. Eſt & frequens his plumbago, hoc eſt, vt in ſole plumbei videantur, idque peculiare, quod quædam ex his ſeneſcunt paulatim viriditate euanida & ſole læduntur, poſt has Medicæ plurimum viriditatis habent, interdum & e Saphiro, hæ ſunt fluctuoſi & rerum imagines complexæ, & papauerum aut auium,pennarumque vel catulorum aut ſimilium. Quæ non omnino virides naſcuntur,oleo & vino meliores fiunt, ad hoc ſonat verſus iactatus, autoris obſcuri; proficit in viridi magis accenditque colorem, elutus vino aut viridi præuentus oliuo: Solinus hoc idem teſtatur, lauantur inquit vino & viridi oleo perficiunt. Juba autor eſt Smaragdum quam *Cholan* vocant, ædificiis includi, idque videmus in pleriſque Germaniæ templis. Nam & illic in argenteis metallis inueniuntur. Smaragdis etiam inſeritur, quæ vocatur *Tanos*, Perſis veniens gemma ingrata viridis atque intus ſordida, item *Chalcoſmaragdus* e Cypro turbida æreis venis. Theophraſtus tradidit,Ægyptiorum regi a rege Babylonio miſſam *ſmaragdum* munere cubitorum quatuor longitudine, latitudine vero in vna parte quatuor,in altera parte duorum.Ait etiam,ſe ſcribente, eſſe in Tyro Herculis templo pilam ex ſmaragdo,niſi *pſeudo-Smaragdus* ſit, nam & hoc genus reperitur, & in Cypro inuentum eſt ex dimidia parte Jaſpideum humore n ndum in totum transfigurato, eius forte generis eſt, qui in Bohemia Pragæ in di ıi Viti ſacello conſpicitur parietibus illic ex eo incruſtatis, in labyrintho Egypti fuiſſe Colloſeum Serapin e Smaragdo nouem cubitorum, ſcriptores prodidere. Noſtra ætate miramur Catinum Smaragdo apud Genuam ciuitatem Liguriæ, quo nullus precioſior viſus vſquam, nulla gemma nobilior, nulla ſpecies vaſis mirabilior, quo dicunt Chriſtum, in vltima cœna ſua vſum, & fuiſſe ex apparatu Herodis regis, qui a Galilea Hieroſolimam & agnum paſchalem commanducandum venire decreuit. Sed diuina prouidentia, conſilio mutato, alio diuerterat. In Gallia Narbonenſi in coenobio quodam Lugdunenſis agri alta parapſis cernitur, qua ſimiliter Chriſtum vſum volunt in ea cœna, ſed minor multo ſuperiori nobilitateque inferior. *Smaragdum* contra venena epota, ſi ipſe in farinam tuſus, bibitur, remedio eſſe, contagiaque peſtilentiæ pellere punici tradunt præſeruareque a comitiali morbo infantes, ob id collo alligandos dicunt; Neoterici affirmant ipſum in concubitu, ſi ab altero coeuntium in annulo geſtetur, diſſilere. Vana ſunt, quæ magi de ipſo promittunt, ob id ſilenda; Serapio ait, ipſum ſtomacho conferre, ſi ſuper eum ſuſpendatur. Cœterum, quod ſoluta & aſſa, cum melle Attico mixta, obtuſitatem oculorum curant, cum aqua vero illita elephantiæ vtiliſſima, pota cum aqua languorem perimit, ſanguinem cohibet, alligata vbiuis & comportata facundos & caſtos facit,

Chalcoſmaragdus

C Cap.

Cap. II.

De Beryllis.

Berylli. *Berylli*, qui in India naſcuntur, virides ſunt, nec alio facile inuentu, eandem cum Smaragdo, vel certe ſimilem, naturam habent, omnes in ſexangulam figuram ingeniis artificum atteruntur, vt hebetem colorem repercuſſu angulorum ad vigorem excitent, aliter enim politi fulgorem eundem non habent; Beryllorum genus diuiditur in ſpecies multas; eximius qui *Chryſoberylli.* viriditatem puri maris imitatur; Proximi qui *Chriſoberylli* vocantur, hi ſunt paulo pallidiores, & fulgore in aureum colorem exeunte *Hyacinti.* languidus virent. Qui nimio pallore ſunt, *Hyazintizones* appel- *Heroides.* lantur; alii vero *beroides*, alii *cerini* a colore, alii *Oleagmi*, poſtremi Cryſtallis fere ſimiles. Indi ſolos Beryllos carere auro debere dicunt, ob id in longiſſimos Cylindros hoc genus gemmarum fingere curant, easque perforatos Elepantorum ſetis ſubligant ad monilia, habent autem plerumque ex vtroque capite inſertos aureos vmbilicos, vt marcentem nitorem adſulgentiorem trahant lucem. Quidam eos anguloſos naſci putant & perforatos, gratiores fieri medulla candoris exempta, additoque auro, vt eius repercuſſu cauſſa perſpicuitatis caſtigetur, aut omnino ad craſſitudinem deducatur: Vitia eadem ſunt, quæ in Smaragdo, vtpote quod intus quasdam ſordes habent vel plumbo vel capillamento, vel etiam ſali ſimiles, ad oculorum vitia vtilis a Dioſcoride refertur, bonam quoque valitudinem firmare, ſi aqua immiſſus epota fuerit; coetera vt vana prætereo.

Caput III.

De Chryſopraſio.

Chryſophraſius. *Chryſopraſium*, quod pallidius viret, quidam Beryllis connumerant, proprii tamen generis ſunt, & a Latinis *Porracei* vel *herbacei* dicti; Solinus inquit, *Chryſopraſius* ex auro & porraceo lumen mixtum trahens, quem aliqui Beryllorum generi adiudicarunt. Naſcitur in Æthiopia, Affrica, & Cypro; Punici autores tradunt, ipſum ad cordis paſſiones efficacem eſſe, diſpneumonicisque auxilium afferre.

Caput

Caput IV.

De Topatio.

Topatius gemma viridis eſt, cui ea gloria fuit, dum primum *Topatius.*
reperta eſſet, vt omnibus præferretur, inuentus autem eſt in Arabiæ
inſula, quæ Chitis appellatur, in qua Troglodytæ prædones, quum diutius fame &
tempeſtate preſſi herbas radiceſque effoderunt, eruere *Topatium*. Alii Topatum
inſulam eſſe affirmant in mari rubro nebuloſam, & ideo ſæpe quæſitam nauigan-
tibus, ex eaque cauſa ita vocatam, Topazin enim Troglodytarum lin-
gua quærere ſignificat. Ex hac dicunt *Topatium* primum importa- Τοπάζω.
tum Berenicæ reginæ, quæ fuit mater Ptolomei, a præfecto regis Phi-
lemone, mireque ei placuiſſe, & inde factam ſtatuam Arſinoe, Ptolomei Philadel-
phi vxori, quatuor cubitorum, ſacratam in delubro, quod aureum vocabatur. Po-
ſteriores ipſum circa Thebaidis oppidum Alabaſtræ naſci inuenerunt.
Faciunt eius duo genera, *Praſoidem* hoc eſt, *Porraceum & Chry-* *Praſoides*
ſopteron, ſimilem Chryſophraſio. Eſt autem ampliſſima gemmarum *Chryſoptera*
& ſola ex nobilibus limam admittit, coeteræ enim ſaxo & cote poli-
untur, eadem & vſu atteritur. Recentiores ipſum falſo mellei coloris
dixerunt, Sudines eum *Nilion* vocauit a Nilo, in cuius littoribus in ge- *Nilios.*
nitur, voluntque quod contra Emoptoicam polleat. Ariſtoteles ſcri-
bit, *Topation* ſuper vulnus poſitum ſanguinem ſiſtere, confert & obtalmiæ ex Or-
phei deſcriptione.

Caput V.

De Callaide vel Callaico.

Callais comitatur Topatium, ſimilitudine magis, quam autorita- *Callais.*
te. Eſt enim in ea viride pallens, dicitur a quibuſdam Augites, naſci-
tur apud incolas Caucaſi montis, amplitudine conſpicua, ſed fiſtuloſa ac ſordium
plena. Sincerior multo præſtantiorque in Germania, vt Plinius teſtatur, Solinuſ-
que affirmat, hic inquit: in Germaniæ continentibus *Callaicam* reperiri, quam
Arabicis anteponunt, vincit etenim gratia & honore, precioque ad Smaragdos ac-
cedit; inuenitur autem in rupibus inuiis ac gelidis, oculi figura extuberans, leui-
terque adhærens. Nec vt adnata petris, ſed appoſita videatur, quapropter ſcande-
re ad eam pigritia pedum equeſtres populos tedat, ſimulque periculum terret. Ob
id euntes elonginquo inceſſunt, & cum toto muſco excutiunt, hoc geſtamen in
ceruice gratiſſimum eſt; optimus color in his Smaragdi. Vt tamen apparet ex alieno

eſt quod placet, auro incluſæ decorantur, aurumque nullæ magis decent, quæ ſunt earum pulchriores oleo, vnguento & etiam mero colorem perdunt, viliores conſtantius reſiſtunt, neque eſt mutabilior alia aut mendatior vitri.

Caput VI.

De Praſio.

Praſius. *Praſius*, plebeia gemma, viridantium turba eſt, cuius alterum eius genus ſanguineis punctis adhæret, alterum virgulis diſtinctum candidis, vt Cymbia ex eo fiant (populi id genus eſt procerum, ac nauibus ſimile) vti & noſtra ætate aliqua vidimus; fiunt ex eo Cylindri celerrimi. India hos generat Germaniaque locis frequentibus, præcipue in iugis quibusdam Miſniæ, ab iis, qui metalla eruunt, inueniuntur. Aiunt enim facultatem confortandi viſum eſſe, inſuper cum Smaragdo vires communes habere, ſed tamen ab incolis non magno in honore eſt habitus.

Caput VII.

De Heliotropio.

Heliotropius. *Heliotropium* ſimili modo porracei coloris eſt, ſed nubilo & repreſſo ſanguineis venis diſtincta. Certamen diu fuit, quænam eſſet generis huius eminentiſſima? Depræhenſumque eſt documentis plurimis æthiopiam aut Libicam palmam tenere; Nomen ex eo trahens, quod deiecta in vas aquæ fulgorem ſolis accedentem percuſſu ſanguineo mutat, maxime Æthiopica, eadem extra aquam ſpeculi modo ſolem accipit deprehenditque Eclipſim, ſubeuntem lunam oſtendens; tradunt Magi, admixta herba eiusdem nominis & precationibus legitimis additis eum, a quo geſtabitur, viſibus ſubtrahi obuiorum, quod vanum eſſe: ceu pleraque alia, quæ de hac magi pollicentur, nemo dubitat.

Caput VIII.

De Jaſpide.

Jaſpis. *Jaſpis* antiquitatis gloriam tenens, præter id, quod viret, ſæpe etiam transſucet, plurimæ gentes ferunt eam Smaragdo Indicæ ſimilem, Cypri eam dicunt glaucam viridem, pinguemque. Perſæ aeri ſimilem, ob id talis *Ærizura* vocatur; totus Oriens pro annuletis traditur *Ærizura.* Jaſpidem geſtare, quæ ex eis Smaragdo ſimilis eſt, & per transuerſum linea alba præcingitur. Hæc *Grammatias* vocatur, quæ pluri- *Grammatias.*

bus

bus præcingitur, *Polygrammos*, magica vanitas hanc concionantibus vtilem promittit; magnitudinem Jaſpidis vndecim vnciarum viſam ſcripſit Plinius, formatamque inde effigiem thoracatam Neronis, eſt & *Jaſpis cærulea* circa Thermodoontem amnem, quæ hodie Torciſcus vulgo vel Thoricus appellatur, & in pretio habetur, de qua poſtea; in Phrygia *purpurea*, in Cappadotia ex purpurea cæruleaque, at non refulgens. Thratia Indicæ ſimilem mittit, Chalcidia turbidam; ſed, vt bonitates diſtinguamus, olim optima fuit, quæ purpuræ quicquam habet. Secunda, quæ roſæ, tertia, quæ Smaragdis. Singulis autem nomina Græci ex argumento dedere, apud eos eſt, quæ vocatur *Borea*, cœlo autumnali matutino ſimilis, & hæc erit illa, quæ vocatur *Ærizuſa*, ſimilis eſt & Sardæ, imitata & violas, quarum in Germania præcipua copia eſt; Sacrarum enim ædium parietes, illo genere incruſtatas vidimus; Eſt & quæ Reſinæ ſimilis eſt Terebyntinæ, hinc & *Terebyntizuſa* appellatur, quamquam & hoc nomen a gemmatis trahitur parum propriæ, ad eamque e multis eiusdem gemmæ diſcriminibus conſtare videtur; in vitio ſunt Cryſtallo ſimiles, aut mixtis, id eſt pituitæ, quæ ex eis præſtantiores ſunt, ſunda includuntur. Quæ optime ſignant, *Sphragidas* vocant, dato his apud veteres publico dominio gemmarum; omnia autem hæc genera in Germania reperiuntur, multumque nobilitata ea gemma noſtra Cignea Tubantinorum, vbi tanta copia eruitur, vt ædificiis publicis (rudi tamen fama:) a veteribus ſit incluſa. Hac vero tempeſtate atteruntur non ingrata ſpecie, nec in formam vnam, partim enim capulis aptantur, partim poculis, partim tabulis alearum, pars etiam globulis, quibus Chriſtianæ preces numerantur. Hæc gemma e Germania aliis gentibus diſtrahitur, quæ de his magi pollicentur, vt vana reliquo. Punici aſſerunt, quod *Jaſpis ſubuiridis* alligatus dolores ſtomachi & ventris lenit, & paralyſes placat; Dioſcorides ait, qui eam geſtauerit, tonitrua non formidabit; Jaſpis parturientes mulieres iuuare & febrem pellere dicitur; Galenum in annulo geſtaſſe, nonnulli ſcriptum relinquere. Ariſtoteles, ipſum ſanguinem reſtringere, dixiſſe fertur. Juuatque intercutem aquam alligatus, vulneraque ab inflammatione & dolore cuſtodit.

Polygrammos.

Borea.

Terebyntizuſa.

Spragid.

PARS TERTIA
de gemmis rubeis.

Cap.

Cap. I.

De Carbunculorum generibus.

Carbunculi. Inter gemmas quæ rubro colore ſunt, & perlucent, *Carbunculi* principatum tenent, a ſimilitudine ignium ita appellati, & quod ipſi ignem non timent. A quibusdam Apyroti vocantur, fulgorem habent candidum in extremo viſu rutilantem, etſi attolatur, pene exardeſcentem; Qui *Lythozonthi.* languidius & liuidius lucent, *Lithizontas* appellant, horum genera *Charchedon.* ſunt Indici & Grammantici, quos & *Carchedonos* dicunt, propter opulentiam Carthaginis magnæ. Sunt & Æthiopici, qui in Dithoſia naſcuntur *Alabandicos* veluti rudes atque impolitos vocant, qui perfecti *Alabandes* ceu municipes ciuesque oppidi dicuntur, hinc ortum eſſe coniicio, vt gemmarum mangones aliquos Amandinos, aliquos Amandinos barbare dicant, quos rerum periti, dum ſequuntur pudendo errore, eisdem nominibus gemmas deſcribunt, nec ſe ipſos, nec rem, de qua ſcribunt, ſatis intelligentes; ſed redeamus, vnde degreſſi ſumus. In omni genere Carbunculorum maſculos appellant acriores, & foeminas languidius fulgentes. In maſculis quoque obſeruant aliquos liquidioris flammæ, alios nigriores, & quosdam lucidius ac magis coeteris in ſole radiantes, Optimos *Amethyſtizontas*, hoc eſt, quorum extremus igniculus in Amethyſti violam exeat, Proximos illis, quos vocant, *Syrtitas*, pinnato fulgore radiantes, ob id quidam Indicos minime probant, quod nec clari ſunt, & plerumque ſordidi ac ſemper fulgoris retorridi. Æthiopicos vero, quod pingues lucemque non emittentes, ſed conuoluto igne flagrare, magnitudine tamen Indici præſtant, vnius enim ſextarii menſura cauantur; Garamantici minores multo coeteris ſunt, & nigrioris aſpectus, ſed igne vel ſole hoſte dicunt acrius, quos coeteros, excitari. Eosdem vmbrante tecto purpureos videri, ſub coelo flammeos contra radios ſolis & ſcintilare, Cæram his ſignantibus liqueſcère etiam ſi in opaco fiat. Qui ex eis mares ſunt, ſtellas intus ardentes habent, foeminæ rurſum fulgorem extra ſe fundunt. Dicunt quidam & in Thratia naſci eiusdem coloris gemmam, ignem minime ſentientem; & in Orchomeno Archadiæ & in Chio inueniri eam, ſed Orchomenios nigriores, ex quibus & ſpecula fiunt, eſſe & Troezenios varios interuenientibus maculis albis. Item Chorynthios, ex pallore candidos, quæ olim Maſſilia, & Ulixipone importabantur. Nonne putas, digniſſime præſul, difficillimum hæc genera diſcerni, ſed audi quid ingeniorum calliditas in his diſcernendis impedimentum præſtet. Æthiopicos enim, quia hebetiores ſunt, in aceto quatuorde-

cim

Digitized by Google

eim diebus macerant, indeque niteſcere coguntur, totidem menſibus durante fulgore, adulterantur vitro ſimillimo, ſed cote deprehenduntur, ſicut & aliæ factitiæ, mollior enim materia & fragilis & centroſa ſcobe & pondere deprehenditur, quod minus eſt vitreis ſimiliter & puſtulis argenti modo relucentibus, eſt & Carbunculus *Anthracitis* appellata, corbonibus ſimilis ignitis, peculiare his eſt, quod iactæ in ignem, velut intermortui, extinguuntur, contra aqua perfuſi exardeſcunt. Cognata Carbunculo eſt *Sandaſtros*, quam aliqui *Garamantitem* vocant, quæ naſcitur in India, in loco eiuſdem nominis, & in Arabia ad meridiem verſam, ſumma commendatio *Sandaſtrorum*, qui veluti translucido ſtellantes intus aureæ guttæ fulgent, ſemper in corpore nuncquam acutæ, & hæ fere ſtellarum hyadum & numero & diſpoſitione ſtellantur; ob hoc a Chaldeis ceremoniis adhibitæ; ſunt in eo genere mares vigore quodam & auſteritate appoſita, a foeminis diſtincte, foeminis eſt blandior flamma allitiens magis, quam accendens, & hoc præſertim in Indicis, quamquam alii Arabicas Indicis præferant, ſed hæ tumidæ ſunt, quod vitium in gemmis habetur; ſunt, qui negant poliri Sandraſtros propter teneritudinem, & ob id *Sandareſion* vocant, ſed hi in magno errore ſunt ob ſimilitudinem nominis, hoc conſtat quantum numero ſtellarum accædit, tantum & precio accædere. Eſt & *Liobnites* ex genere ardentium, a lucernis accenſis ita a græcis appellata, hanc quidam remiſſionem Carbunculum dixere, noſtra ætate *Rubinum* vocant; duplex ei facies aut in purpuream emicat alacritatem aut meratio ſuffunditur cocceo rubore per omnem intimam partem ſui, ſiquidem pura ſit in offenſam admittit perſpicuitatem, contumaciter ſcalpturis reſiſtit, at ſi aliquando ſculpta eſt, dum ſigna imprimit, quaſi quodam animali morſu, partem cæræ retentat, ſi radiis ſolis excanduit, vel ad calorem attritu digitorum excitata eſt, paleas aut chartarum folia ad ſe rapit. Naſcitur in Orthoſia totaque Caria, ac vicinis locis, ſed probatiſſima in India; proxima huic eſt *Jon*, apud Indos, quaſi violacea a prælatis violarum floribus ita appellata, nam Jon violam nominant, ſed raro ſaturo colore lucet; *Carchedonius* vilior multo prædictis. ſimiliter ad ſe paleas trahit, naſcitur apud Naſomonas in montibus, vt incolæ putant imbre diuino; Inuenitur ad repercuſſum lunæ maxime plenæ; naſcitur & circa Thebas in Ægypto, ſed fragilis; *Uritis* plena morientique corboni ſimilis, potoria vaſa ex hoc lapide facta inuenio, quæ noſtra ætate aliquando viſa ſunt, hæc eſt gemmarum ardentium aduerſitas, atque cognatio, quam, vt quis recte diiudicet, imprimis ſel-

Margin notes: *Anthrac.* — *Sandaſtros.* — *Lichnites.* — *Rubinus.* — *Jon.* — *Carchedo.* — *Uritis.*

fallatias mangonum caueat, qua arte ſubditis per quæ tranſlucere coguntur & occaſionem difficultatis præſtant. Miraudum autem magis eſt, quod hi, qui ex recentioribus hiſtoriam naturalem ſcribunt, longe ab hac eruditorum ſententia receſſerunt, vt multum ſcribendo de Carbunculis, Rubinis, Pallagiis, Granatis, Amandinis, nihilo ſetius agere videntur, quam Sophiſtæ, dum de chimera garriunt. Nam nec rem, de qua ſcribunt, nec alios, quos citant, nec ſe ipſos ſatis intelligunt, hoc pudendo errore Medici noſtri temporis ſecuti, dum ex eis componere medicabula audent, vti ex commentariis ſingulorum affatim colligunt, ita & ſimplaſiæ committunt & ſic miſeris exitum, ſibi ipſis & arti infamiam parant, his autem omnibus gemmarum generibus venena peſtiferumque aerem abigi, & ſpumum cordis hilariorem fieri non negauerim, Amuletaque geſtantibus, vt Punici tradunt, contra nocturnas illuſiones valere, in eis quoque ſpectaſſe oculis conferre.

Cap. II.

De Amethyſto.

Amethyſtus. *Amethyſtus* violaceum fulgorem habet, cauſſam nominis afferunt, quod quum vſque ad vini colorem accedat, prius tamen quam ipſum deguſtet, in violam deſinit, fulgor enim in eo purpureus eſt, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens; lucent autem omnes, principatum Indicæ tenent, ſed & in Arabia petroſa, & in Armenia minori, & in Ægypto & in Gallatia reperiuntur. Indici abſolutum purpuræ colorem habent, ſordidiſſimæ autem & viliſſimæ ſunt in Tharſo, & Cypro. Inueniuntur & in Germania, in montibus Miſnæ, ſed minime duri, quæ etiam vſu atteruntur, Globulas enim ex ipſis faciunt, quos tamen angulariter, vt fulgorem blandius fundant, tum in pilæ figuram poliunt, quibus in ſacris præcibus numerandis, ceu Jaſpideis, vtuntur. Eſt & alterum Amethyſtæ genus, ad hyacinthos deſcendens, hunc colorem Indi Sacon vocant, gemmamque *Sacadion*; Dilutior vero ex eodem *Sapinos* vocatur, eadem *Paranites* in contermino gentis Arabiæ. Quartum genus vini colorem habet; Quintum ad viciniam Chriſtalli deſcendit deiectu purpuræ albicantem, quod minime probatur, quando præcellens debet eſſe in ſuſpectu, velut ex carbunculo refulgens, quidam in purpura leniter roſeus nitor; Sunt autem ſcalpturæ facilis. Magorum dementia reſiſtere ebrietati Amethyſtos pollicetur, & inde appellatos quam minime ebrios. Et ſi lunæ nomen ac ſolis his inſcribatur, atque ita ſuſpendantur collo e capillis cynocephali vel plumis hirundinis, reſiſte-

Sacadion. *Sapinos.* *Paranites.*

ſiſtere veneſitiis & adeſſe quoquo modo reges adituris, grandines tempeſtatemque auertere & locuſtas, præfatione addita, quam ipſi demonſtrant propellere. Quæ quidem ſcripſiſſe eos non absque contemtu & irriſu generis humani Plinio videtur,

Cap. III.

De Hyacintho.

Hyacinthi color e vicinio Amethyſti deſcendit, nam emicans ille in Amethyſto fulgor violteus, dilutus eſt in Hyacintho, primoque aſpectu gratus, ſed euaneſcit antequam ſatiat. Adeoque non implet oculos vt penes non attingat, marceſcens celerius nominis ſui flore. *Hyacinthos* Æthiopia ſolummodo mittit; hallucinantur recentiores ſcribentes ex hyacinthis eſſe coloris lutei: quum ii Chryſoliti ſint, de quibus dicemus, pollet autem hyacinthus contra venena & peſtilentes tractus, aſſumiturque a medicis Antidotis cordialibus; Punici tradunt, eum, qui hyacinthum geſtat, eſſe a fulgure tutum: Quæ Solinus de Hyacintho ſcripta reliquit, Saphiro peculiaria eſſe videntur, Hyacinthum a Saphiro minime ſeparans. *Hyacinthus.*

Cap. IV.

De Sarda.

Sub hoc genere, coloris ſcilicet rubei, continetur & *Sarda*, gemma vulgaris, hodie *Carneolus* dictus, ſignandis ceris aptiſſima, quoniam ſculpta partem ceræ non auſert. Eſt autem Sardibus primum reperta, quæ vrbs eſt Lydiæ, ſed laudatiſſima poſtea in Babylonia inuenta, quum lapicidinæ ibi aperirentur, hærens in ſaxi corde, dehinc quam plurimis locis aliis reperta, ſunt autem trium generum, rubrum, & quod demium vocant a pinguedine; tertium quod argenteis bracteis ſublimitur; Indicæ prælucent, craſſiores ſunt Arabicæ, inueniuntur circa leucada Epiri & circa Ægyptum, quæ ſubliuntur aurea bractea; Et in his mares excitatius fulgent, foeminæ pinguiores ſunt & craſſius nitent; Nec fuit alia gemma apud antiquos vſu frequentior, vt Menandri fabulæ teſtantur, nec vllæ translucentes tardius, humore hebetantur, oleoque magis quam alio liquore, quæ melleæ exiſtunt, damnantur & validius teſtare. *Sarda. Carneolus.*

Cap. V.
De Sardonyce.

Sardonyx. Ab hac gemma & onyce *Sardonyx* appellatur, colorem vngnis habens, in Sarda, qua ſi carnibus vngue hominis impoſito & vtroque translucido, placere maxime coepit, quoniam ſculpta cæram non aufert. Indi perforatis in collo vtuntur. Primus Romanorum Sardonyce vſus eſt prior Africanus & inde Romæ celeberrima fuit; hanc gemmam fuiſſe tradunt, qua ſe Policrates tyrannus ab inuidia fortunæ redimere credidit, proiecta ipſa in mari, quæ a piſce eo die capto regique in culinam deportato relata eſt. Et poſtea Romæ in delubro concordiæ aureo cornu per Auguſtum incluſa, coeperunt hæ gemmæ pluribus intelligi coloribus radice nigra, aut cæruleum imitante, & vngue minium, nec ſine quadam ſpecie purpuræ, candore in minium transeunte; has Indis primum non habitas in honore ſcriptores prodiderunt, tantæ tamen magnitudinis fuiſſe vt ex ipſis capulos factitarent. Nam ibi torrentibus detegebantur, deinde perſuaſi a Romanis his gaudere coeperunt. Utiturque his vulgus perforatis in collo, & id Indicarum argumentum eſt, Arabicæ excellunt candore circuli prælucido ſed non gracili, medietas enim circuitur limite candidato, optima Arabicarum eſt, ſi nec colorem ſuum ſpargat in alterum, nec ipſa ex altero mutuetur, reliquum nigro finiuntur. Nam ſi translucear, vitio vertitur, ſi perſpicuitatem arceat, perficit ad decorem. Inuenitur ex Indicis cæreum colorem & corneum imitans, etiam albi circuli, vnde nomen earum ortum putant *Corneolas* vocant, quamquam alii Carneolas a carnibus nomen ſortitum volunt, & Sardam verius, quam Sardonycem eſſe. Melleæ aut feculentæ improbantur, & Armenicæ, quæ ſunt Zona pallida. Dionyſius dicit, hanc gemmam ad corporis cuſtodiam facere, eoque Athenienſes vti ſolent.

Cap. VI.
De Onyce.

ὄνυξ. Ob nominis ſocietatem exponenda eſt, & *Onycis* natura. Sudines dicit in hac gemma eſſe candorem vnguis humani, item Chryſoliti colorem, & Sardæ & Jaſpidis. Aliqui dicunt, Indicam Onycem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis, oculi modo, interuenientibus. *Onyx Arabica* nigra inuenitur candidis Zonis, & per hoc ab Indica diſtat, quod illa igniculos habet, albis cingentibus Zonis ſingulis pluribusue, aliter

ta-

Digitized by Google

tamen quam in Sardonyce Indica; Dicunt alii carnoſas eſſe Indicas, parte Carbunculi, parte Chryſoliti & Amethyſti, ſed totum id genus a vera Onyce abdicant, verum namque Onycem plurimas variïsque cum lacteis Zonis habere venas omnium in tranſitu colore inenarrabili & in vnum redeunte concentum grata ſuauitate.

Cap. VII.

De Hematite.

Hematites ſanguineo rubore, & propterea *Hematites* vocatus, *Hematites.* in Æthiopia præcipuus naſcitur, & in Arabia, & Africa; huic non ſine mendaciis magi fata humana attribuunt, vt ſcilicet a rege aliquid petituris adeſſe; litibus iudiciisque eam interponunt. In præliis etiam ſalutarem eſſe pronunciant, quaſi non ſatis ſit eum oculorum & Jocinorum medicinis decoraſſe.

Cap. VIII.

De Corallio.

Corallium, quæ Gorgonia appellatur, quoniam extractum aquis *Corallium.* lapideſcit, gignitur in Mari rubro, & in Perſico, laudatiſſimum in Gallico ſinu, circa Orchades inſulas, & in Siculo circa Drepanum, & ante Neapolim, & ante Corniculum etiam hac tempeſtate, forma eius fruticis eſt color viridis, baccæ eius candidæ, quantiſper ſub aquis & molles ſunt, ac tactu prope carnulentæ, exemptæ confeſtim durantur & erubeſcunt, ſicut corna ſatiua, aiunt tactu, dum viuit, prorſus lapideſcere, propter quod euellitur retibus ac ferramento præſciuditur, pro Ammuleto item pro ammoliendis faſcinationibus infantiæ alligatur, Dioſcorides etiam ſalutarem domibus quia eas nec maleficis nec vmbris malis vexari ſinit, a ſomniis item inanibus præſeruare, Metrodorus affirmat, quod maria emolliat fulminibusque & Typhonibus reſiſtat, Stomachi doloribus geſtatum aut in puluerem contuſum epotumque conferre ſcribitur.

Cap. IX.

De Hepheſtite.

Eſt & Gemma *Hepheſtites* dicta, ſpeculi naturam imitans in *Hepheſtites.* reddendis imaginibus, quamquam rutilis. Experimentum eſt, ſi ferventem aquam refrigeret, aut ſi in ſole materia arida addita accendat; Magi afferunt portantibus ipſum audatiam augere, grandinesque & locuſtas a fructibus ar-

Digitized by Google

Chryſolam. cere; eſt *Chryſolampis* noctu ignei coloris, licet die palleſcat; eſt *Crocallis.* *Crocallis*, quæ cæraſum repræſentat; eſt & *Panthaurus* ignei fulgoris *Panthaurus.* gemma in India reperta, omnes in ſe lapidum virtutes continens, vt aurum metallorum.

Cap. X.

De Chryſolito, & aliis.

Proſequamur & hic gemmas lutei coloris, qui rutilo dilutior eſt, qua-*Chryſolitus.* lis eſt color auri, eius coloris eſt *Chryſolitus*, aureo enim colore translucet, has mittit æthiopia, ſed his Indicæ præferuntur & Bactrianæ, ſi variæ non ſunt, deterrimæ vero Arabicæ, quoniam turbidæ ſunt, & variæ & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ contingunt limpidum veluti ſcobe ſua refertæ. Optimi ſunt, qui in collatione aurum albitare quadam argenti facie cogunt. Funda hi includuntur, cæteris ſubiicitur aurichalcum; inuenitur hæc gemma & in Germania, in iugis Miſniacis & locis ſibi vicinis, ſed facile frangibilis, ſplendore tamen ad candorem declinans; hunc vulgo *Cetrinus.* *Cetrinum* vocant; vanum & credere ipſum aduerſum nocturnos timores valere, ſi ſeta aſini in brachio ſiniſtro ligatus, demoniaque abi-*Chryſoelect.* gere; iam expertes gemmarum aliquos *Chryſoelectros* appellant, quæ in colorem Electri declinant, iucundiores matutino aſpectu; eſt ex *Leucochryſis.* his *Leucochryſis* nuncupata, interueniente candida vena. Sunt & in *Capnia.* eo genere *Capniæ*, ſunt & vitreis ſimiles, veluti croco fulgentes, ſed vitreæ diſcerni non poſſunt, tactus vero deprehendunt, tepidior in vi-*Melochryſis.* treis; ſunt in eo genere *Melochryſi*, veluti per aurum ſincero melle translucente, has India mittit, quamquam ad iniuriam fragiles; Bochus autor eſt, in Hiſpania *Chryſoliton* duodecim pando a ſe viſam; *Hormeſion.* *Hormeſion* inter gratiſſimas aſpicitur, ex igneo colore radians, auro *Chryſotopſis.* portante ſecum in extremitatibus candidam lucem; *Chryſotopſis* gemma eſt, quam lux cælat, prodit obſcurum. Hæc enim eſt in illo *Ætites.* diuerſitas vt nocte igneus ſit, die pallidus. *Ætites* faluus eſt, & tereti poſitione alterum lapidem intrinſecus cohibens, cuius crepitu ſonorus eſt, quum mouetur, quanquam tinnitum illum non internum ſcrupulum, ſed ſpiritum eſſe; hunc *Ætitem* Zoroaſtres omnibus præfert, maximamque illi tribuit poteſtatem; inuenitur autem in nidis aquilæ, aut in littoribus oceani,

Cap.

Cap. XI.
De Electro, Linturio & aliis.

Eſt Succini genus, quod *Electrum* vocant Græci, in inſulis ſeptentrionalis oceani genitum, & ad littus vi tempeſtatum adactum. *Electrum.* Id olim *Gleſſum* gentiliter Germani vocabant, inde gleſſaria dicta hæc *Gleſſum.* portio fuit, Romanæ militiæ Auſtrauia & Sudinia a barbaris, quamquam & in locis aliis inueniatur, abundantius tamen in ea ipſa; naſcitur autem defluente medulla ex pinei generis arboribus, ceu gummi e Ceraſis, denſatur rigore maris, ſuccum arboris eſſe de ſignificatione nominis capeſſimus. Pinum vero vnde ſit genitum ipſius ſucci odor indicabit, falſum eſt, quod pardanæ ſyluæ hanc ſpeciem lapidis ſteriſſe exiſtimantur; ſed Germani in Illyricum eam intulerunt, quomodo per Pannonica commertia vſque ad padanos homines fore delata, quæ ibi primum viſa etiam nata credita eſt. In munere Neronis principis omnis apparatus ſine ſuccino inornatus fuit, nec difficulter cum Rex Germaniæ per idem tempus tredecim millia librarum dono ei miſerit; ſunt eius genera quamplurima, quæ pro facie nomen habent. Candida, quæ odore præſtant, fulua & translucentia, Cærea, & quæ falerna, vtrunque a ſimilitudine aut vini, aut mellis, infantibus quoque pro amuleto alligantur, contraque lymphationes cuicunque ætati; quod fuluum eſt, ab aliquibus *Chryſoelectrum* vocatur, *Chryſoelect.* id, ſi collo alligatur, mederi febribus dicitur. Transpadanæ mulieres ipſum circa colla geſtauere, valet contra fantium vitia vario genere aquarum, iuxta illos infeſtante guttura ac vicinas carnes. Caliſtratus prodidit ipſum tritum cum melle ac roſaceo aurium vitiis, & ſi cum Attico melle oculorum obſcuritatibus mederi; Stomachi etiam vitiis vel per ſe, vel cum maſtice, farina eius epota, attritu digitorum caloris vi accepta attrahit in ſe paleas & folia arida, vt magnes ferrum; notiſſimum id cuique, *Craterites* inter Chryſolitum & Electrum colorem habet, prædura naturæ. *Craterit.* *Chelonitides* *Chelonit.* eſt teſtudini ſimilis, ex quibus ad tempeſtates ſedandas multa vaticinantur & quæ ex his aureis guttis ſit, cum Sorabeo deiecta in aquam feruentem a tempeſtatibus tueri; *Chriſophis* aurum videtur eſſe; *Chriſophis.* *Lynturium* gemma, Electri colore, inuenio, qui ex vrina Lyncis in *Lynturius.* duritiem calculi coit, iſtud etiam animal perſentiſcere, hoc documento probatur, quod Egeſtum liquorem illico harenarum cumulis quantum valet contegit inuidia, ſcilicet, ne talis egeries tranſeat in noſtrum vſum, medetur regio mor-

Theocol. morbo; *Thecolitos*, nucleo oliuæ ſimilis, ſpernitur quam videtur, ſed remediis pollens vincit aliorum pulchritudinem, ſolutus quippe & hauſtus, pulſis calculis, renum dolores ac veſicæ leuat.

Cap. XII.

De Opalo.

Opalus. Obiter & Opali natura dicenda, & cui ſuperius carbunculi ignem tenuiorem, Amethyſti purpureum fulgorem & Smaragdi gratiſſimam viriditatem ineſſe diximus, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia, cui ſulphuris ardentem flammam æquauere. Compoſitores gemmarum ei precioſiſſimam gloriam & maximam difficultatem dedere; magnitudo eius nucis auellanæ; eſt inſignior factus hiſtoria Nonii & M. Anthonii triumuiri antea relata. Vitia Opali ſunt, ſi color in florem herbæ, quæ vocatur Heliotropium exeat, aut Cryſtallum, aut grandinem; ſi ſal interueniat aut ſcabritia, aut cuncta oculis occurſantia, nullosque magis, India ſimilitudine indiſcreta vitro adulterat. Experimentum in ſole tantum eſt, falſis enim contra radios libratis digito a pollice, vnus atque idem translucet color in ſe conſumptus, fulgor veri ſubinde variat, & plus huc illucque ſpargit & fulgor lucis in digitos funditur. Appropinquant *Pederota.* huic gemma alia, quam *Pederota* nominant, & priuatum genus faciunt, cum ſumma coloris ex aere & purpura conſtat, viriditas Smaragdi *Opalus.* deeſt, nitet, ſed mollius. *Opalus* raroque non ſcabes, melior ille, cuius color colore vini fuſcatur, quoniam, qui diluitur aqua, traditur naſci in Ægypto & in Arabia, & viliſſimi in Ponto; item in Gallatia & Cypro ac Thaſo; amorem conciliare creditus eſt.

FINIT TERTIA PARS.

Interpretamenti Gemmarum Pars Quarta de Gemmis Cœruleis & Nigris.

Cap. I.

De Cyaneo.

Reperiuntur & gemmæ cæruleæ, hoc eſt, quæ coelum colore imitantur, ceu *Saphirus Cyaneusque*, quamuis & nomine tali color ſignificetur, *Cyaneus.* vt Plinius inquit; Eſt autem *Cyaneus* ex Jaſpidis genere, cæruleo colo-

lore, Jaſpis enim, vt dictum eſt, cærulea circa Thermodoontem amnem reperitur. Optima eſt Schytica, deinde Cypria, poſtrema Ægyptia; Theophraſtus hanc gemmam in marem & foeminam diſtinguit, dicens, eam, quæ mas eſt, a Saphiri colore multum non diſtare. Hæc eſt gemma, quam officinæ hodie *Turcicam* vel *Thoricum* vocant; Neoterici aiunt, ipſam ea, vi pollere, vt hominem in lapſibus, ne membra laxantur, franganturue conſeruare; aliis non inepte viſum eſt, hoc nomen ante Smaragdo coeco minimeque translucido accommodatum fuiſſe, vti conſtat ex ſuperioribus, qui in argentariis metallis regionis Atticæ in loco, qui Thoricus dicitur, repertus eſt, indeque ipſum & ad hanc gemmam pinguites cæruleo colore tumeſcentem tractum, vt & ipſa *Thoricus* nominari coepta ſit, quum, Plinio teſte, Smaragdi ſint, qui aliquid e Saphiro cæruleoque habeant, diſcutiant legentes. *Turcia. Thoricum.*

Cap. II.
De Saphiro.

Saphirus eiusdem coloris gemma translucida, cui aliquando aureus puluis in eſſe videtur, hoc eſt, ipſum punctis aureis collucere, raroque cum purpura, & hi mares ſunt, ad eosque Cyaneus appropinquat ex ſententia Theophraſti. Adulterantur autem maxime tinctura, idque in gloriam Regis Ægyptii adſcribitur, qui primus eum tinxit; qui candidi ſunt Saphiri colorem Adamantis referunt, ſunt autem, vt Plinius inquit, inutiles ſculpturæ, interuenientibus Chryſtallinis centris; optimæ apud Medos reperiuntur nuſquam perlucidæ. Quæ, ſi de Saphiro a Plinio dicta, intelligantur, nequaquam probanda ſunt, quum Saphirus & ſculpitur & perluceat; ſunt ergo de Cyaneo hæc verba Plinii accipienda, qui in Colore, vti dictum eſt, ad Saphirum accedit. Promiſcue enim Plinius agit de Cyaneo & Saphiro quæ Solinus de Hyacintho retulit, Sapphiro accommodata ſunt, ipſum eſſe colore cæreleo, qui aliquando violateo diluitur, aliquando nubilo obducitur, quandoque in aquaticum eliqueſcit. Pretioſus vero, qui inculpabili nitore iuuenitur; optimus enim in illo tenore eſt, ſi nec denſiori fuco ſit obtuſior, nec propenſa per ſpicuitate deiectior, ſed ex vtroque temperamento lucis & purpuræ moderatum, ſuauiter florem trahit. Quis negat hæc ſingula ineſſe Saphiro, & ſubdit, hic eſt, qui ſentit auras, cum coelo facit mutationem, nec æqualiter rutilat, quum aut nubiloſus eſt, aut ſerenus dies; præterea ipſe in os miſſus, magis friget. Medici aiunt, ipſum vim fugandi Antracem peſtilentem habere, quod experientia plurima comprobatum cognouimus. Dioſco- *Saphirus.*

Digitized by Google

ſcorides epiforas oculorum ſanari dicit, inuidiæque reſiſtere, ſi in eo Scarabeus inſculptus ſit.

Cap. III.

De Calaide & Ceraunia.

Calais. *Ceraunia.* Eſt & gemma, Saphirum imitata, dicta *Calais*, candidior eo, & littoroſo mari ſimilis; eſt & *Ceraunia* cærulei ſplendoris, in Carmania naſcens, eſt & candida, de qua inter candidas dictum eſt. Sunt autem omnes Chryſtallina perſpicuitate; Solinus inquit, Cerauniorum genera porro diuerſa ſunt. Carmanicum candidum eſt, ſplendet tamen cærulo, ſi ſub diuo habes colorem ſiderum rapit; Sotacus facit alia duo genera Cerauniæ, nigras rubentesque ſimilesque eas eſſe ſecuribus. Pollet & Luſitanum littus gemma *Ceraunia*, cuius color Zepiropo eſt, qualitas igni probatur, quem ſi perferant aduerſus vim fulgurum creditur opitulari; Plinius ait per illas, quæ nigræ *Betuli.* ſunt, & rotundæ, vrbes expugnari & claſſes, easque vocari *Betulos*; quæ vero longæ ſunt, Ceraunias; facit & aliam rarum admodum & Parthorum magis quæſitam, quoniam non alibi inueniatur, quam in loco fulmine icto, ſicut & *Ambria*, quam aliqui *Notiam* vocant, & *Brontia*, quam ſimiliter cadere cum imbribus & fulguribus dicit, eundemque effectum habere, quem Brontia, quæ cum tonitruis cadit, & fulmina icta reſtinguit, ſi credimus, calamitatem vocant a calamo feruntque plures calaitas ſimul innctas eſſe; *Cadmites* eadem eſt, quam *Oſtracitem* vocant, niſi quod hanc cæruleæ bullæ interdum cinguut,

Cap. IV.

De Moris Gemmis.

Gagates. *Gagates* lapis plurimus optimusque in Britannia flumine amnis Gagatis reiectus, eſt autem niger, planus, leuis, & nullius fere ponderis, ardens igni admotus, ex eo ſcripta fictilia non delentur, ſerpentes fugat, virginitatem deprehendere dicitur, aqua ardet, oleo reſtinguitur, at*Galactites.* tritu calefactus detinet paleas, æque vt ſuccinum; *Galactites* in ripa Acheoli amnis Græciæ inuenitur, ater, ſed candidum ſuccum reddere dicitur, ſi teratur, & lactis ſaporem, foeminis nutrientibus alligatus foecundat vbera, ſubnexus paruulis largiuſculos hauſtus ſalinarum facit, intra os receptus liqueſcit, eadem memoriam adimere dicunt; inuenitur & in Nilo.
Ananchitis. *Ananchitis*, qua necromantici dicunt euocari imagines deorum,

Syne-

Synochitide imagines inferiorum teneri, vtræque nigræ; *Orca* barbari nominis, e nigro fuluoque & candido placet; inter gemmas nigras *Morion* Indica numeratur, quæ nigerrimo colore translucet, in qua miſcetur & Carbunculi colos; *Apiſtos* nigra eſt & ponderoſa, diſtinguentibus eam rubentibus venis, quæ igni excalefacta ſeptenis diebus calorem tenet, putant prodeſſe eam contra frigora; *Belus* eſt quaſi oculi pupilla nigra, e medio auri lucente candore circumcincta. Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum deo dicatur; ſed eſt alia quam *Belum* vocant in Arbelis naſcens, nucis inglandis magnitudine, ſpecie vitrea; *Chalcophonos* nigra eſt, & illiſa æris tinnitum reddit, tragœdis, vt ſuadent magi, geſtanda. *Chelidonia* duorum generum ſunt, hirundinum colore, & aliæ partim purpureæ, nigris interpellantibus maculis; *Dyoniſias* nigra eſt, mixta rubentibus maculis, quæ trita ex aqua vini ſaporem facit, & ebrietati reſiſtere putatur; *Encardia* cognominatur & *Cardiſce* gemma vna, in qua nigra effigies cordis eminet; altera, eodem nomine, viridis coloris, ſpeciem repræſentans; tertia nigrum cor oſtendit, reliqua ſui parte candida; *Medea*, ab inuentrice dicta, habet in nigro venas aurei coloris, ſudorem reddit croci, ſaporem autem vini; in *Ægyptilla* per album ſarda nigraque vena tranſit, vulgus in nigra radice cæruleam facit, *Leucophthalmos* quatuor eſt colorum, ex rutilo & ſanguineo in medio nigrum candido cingitur, Cyamea fabaria ſemina nigra eſt, ſed fracta fabæ ſimilitudinem facit.

Synochites. *Orca.* *Μόριον.* *Apiſtos.* *Belus.* *Chalcophonos.* *Chelidonia.* *Dyoniſias.* *Encardia.* *Cardiſce.* *Medea.* *Ægyptilla.* *Leucophthalmos.*

Caput V.

De Gemmis ad Ectypam.

Gemmas ad Ectypam eruditi dixere, quæ ad imagines in eis ſcalpendas aptæ ſunt; harum quanquam multæ numero ſunt, *Peantides* tamen, quæ & *Gemobuidas* nuncupatur, quo nomine prægnantes ac plenæ ſignificantur, ſeſe principem effert, quod vſu vulgatior eſt, dicitur mederi parturientibus & etiam parere; tales inueniuntur in Macedonia iuxta monumentum Tireſiæ, ſpeciesque eſt eis aquæ glaciatæ; de eis etiam ſunt *Meſomele* nigra vena quemlibens colorem ſecante per medium *Naſomonites* ſanguinea nigris venis. *Nebrides* Libero patri ſacra, nomen traxit a Nebridum ſimilitudine; in ſcalpendarum gem-

Peantides. *Gemobuidas.* *Meſomele.* *Naſom.* *Nebrides.*

marum arte Pyrgoteles princeps fuiſſe ſcribitur, ex quo ſe vetuit Alexander ab alio ſcalpi, facilius etiam, quæ voluerimus gemmis inſculpi terebra ſeruefacta.

Caput VI.

Unde Gemmis nomina indita ſunt.

Hepatites. Urioptbalmos. Carcinias. Echites. Scorptites. Æglopthalmos. Geranites. Heracites. Ætitos. Mirmetites. Lycopthalm. Thaos. Hammocriſus. Calazias. Enais. Leontios. Pardalios. Criſoliton. Criſopraſſus. Melicbrota. Crotias. Rodites. Melites. Calcites. Cicites.

Nomina gemmis indita ſunt, vel a membris animalium, vt *Hepatites* a iocinore; *Urioptbalmos* tres hominis oculos ſimul exprimens; vel ab animalibus, vt *Carcinias*, qui cancri marini colorem imitatur; *Echites*, quæ viperæ; *Scorptites*, quæ Scorpionis aut colorem aut effigiem exprimit; *Æglopthalmos*, quæ caprino oculo ſimilis; & a gruis collo *Geranites*, *Heracitis* accipitris collum referens; *Ætitos*, a colore aquilæ candentis caudæ; *Mirmetites* innatam formicæ effigiem habet; *Lycopthalmos* a luporum oculis, quatuor nempe colorum eſt, rutilo & ſanguineo, in medio nigrum præcingitur, *Thaos* pauoni eſt ſimilis; Arenæ ſimilitudo eſt in *Hammocriſo*, vbi aurum harenæ mixtum videtur; *Calazias* grandinum & colorem & figuram habet adamantinæ duritiei; narrant etiam, in ignem miſſam remanere ſuum frigus; *Enais* rotunditatis abſolutæ, in candore eſt lenis, ſed ad motum fluctuat intus in ea, veluti in ouis, liquor; ſunt quædam a leonis pelle nominatæ vt *Leontios*, *Pardalios*; color aureus appellauit *Criſoliton*, *Criſopraſſum* glaceus, melleus *Melicbrota*, *Crotias* a croco; *Rodites* a roſa, *Melites* mali colorem; *Calcites* æris; *Cicites* fici referunt; ſunt & apud Barbaros ſua nomina gemmis, nondum latinitate donata. Nec id prætereundum eſt increſcentibus varie in gemmis maculis atque verrucis linearum, quæ multiplici ductu & colore gemmam afficiunt ſæpenumero in ea materia nomina variare.

Caput VII.

Quæ ad obſeruantiam gemmarum pertinent.

In omnibus gemmis obſeruatur in primis figura, in quibus oblonga maxime probatur, deinde, quæ vocatur lenticula, poſtea clipeiclos & rotunda; Angulo-

loſis minima gratia eſt, cauæ aut extuberantes viliores habentur æqualibus; ſed qua ratione veras a falſis deprehendere poſſumus, magna difficultas eſt, quum inuentum ſit, ex veris gemmis in alterius generis falſas traducere, qua fraude nulla eſt lucroſior, ſed vt aduerſus fraudem ea parte mortalium luxuriam muniamus, præter illa, quæ in principalibus quibusque generibus priuatim diximus, hæc pro corrolario adiecimus. Translucentes matutino probari, aut ſi neceſſe eſt, in quartam horam poſtea nequaquam; pondere etiam probantur, nam ſi grauiores ſentiuntur, reiiciendæ; poſt hoc corpore, fictitiis enim puſtulæ in profundo apparent, ſcabritia in cute, in capillamento, fulgoris inconſtantia, priusquam ad oculos perueniant, nitor deſinit. Mangones gemmarum efficaciſſimo experimento deprehendunt fraudem, ſi decuſſa fragmenta paulum in lamina ferrea terantur, recuſant & limæ probationem, quam fictitiæ admittunt, quæ etiam fragmentis obſidione ſacrificari poſſe, veras non poſſe; in hoc tamen diuerſitas eſt, quæ aliæ ſcalpi ferro non poſſunt, aliæ non niſi retuſo; Verum omnes Adamantem perferunt magisque ſeruore calidum.

Caput VIII.

De gemmis in vniuerſum.

Theophraſti de gemmis ſententia eſt; *Gemmas terrea ſiccaque materia conſtare, quæ, dum per defluxum aut diſtillationem ſecernitur, &, pro loci temperatura, ſiue per calorem, vt in murrinis, ſiue per frigus, vt in Cryſtallis condenſatur, & ceu quæque planiores ſplendidioresque ſunt, ſic puriorem purgationemque materiam in ſe demonſtrant, inde fit, vt quædam quum minus puram materiam nactæ ſunt, vitiis obnoxiæ fiunt, ea in translucentibus capillamentum ſal, plumbago vocantur; in non translucentibus, ſi in aliqua parte ſui transparentes ſint; Gemmas minime conflatiles Ariſtoteles docuit, tanquam eis minus humoris, quam metallis, inſit, quæ per omnia genera conflantur, in ipſis tamen ſexum reperiri omnium conſenſus eſt; Foemina ſemper hebetior ſplendore & inferior virtute eſt, inſuper & ad remedia occultaque vi & coeca origine pollere nemo ſanæ mentis negauit, ad ſuperſtitioſa tamen & anilia, magicasque vanitates efficaces haud facile conceſſerim, nam id fateri, ceu ridiculum, ita nec ſane religioſum eſſet. Quis enim non rideret in Gagate caſtitatem, in Sarda lætitiam, in Topatio ſecuritatem, ſi ſiniſtro brachio adligatus fuerit, in Hyacintho maris tranquillitatem, ſi in ea Neptunus ſcalpatur, in magnete vxoris impudicitiam deprehendi, ſi puluillo ſubiiciatur, & illa non quieſcat, quod ſi aliqua id genus a me relata ſunt, vt

Digitized by Google

plane noſcantur, quæ de illis priorum opinio fuit, in medium tuli, non quo aſſererem, diligenter monitum velim.

Caput IX.

De annulorum vſu.

Quum gemmarum vſus vt plurimum in Annulis exiſtat, quos Priſci vngulum, Græci Symbolum dixere, operæ pretium duxi, hic obiter de annulis quicquam iudicare. Annulos Troianis temporibus non fuiſſe in vſu, ex Homero notatur; Verum, qui prius annulum induit digitis, ignoratur. Nam de Prometheo omnia fabuloſa arbitror, quandoque illi ferreum annulum dederit antiquitas, vinculumque id non geſtamen intelligitur. Quis enim non fabuloſiorem putaret Midæ annulum, quo circumacto habentem nemo cerneret; apud Romanos longo tempore ne ſenatum quidem aureos habuiſſe, Plinius autor eſt, ſiquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri eſſent, annuli publice dabantur, neque aliis vti licuit, quam qui ex ea cauſa publice accepiſſent; Triumphantibus quanquam coronam ex auro Ethruſcam habebant, annulus tamen in digito ferreus erat, hi quoque, qui ob legationem acceperant aureo in publico vtebantur, in domo ferreis; mittebatur etiam ſponſæ annulus ferreus, isque ſine gemma; quisquis autem primus annuli aurei vſum introduxit, incertum eſt, aliquandiu tamen promiſcui vſus fuiſſe, indicat Cannenſis clades ſecundo Punico bello. Aliter enim non potuiſſent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti, tandem annulus equeſtrem ordinem a plebe diuiſit, vt ſemel celebres eſſe coeperant, ſicut tunica, hoc eſt laticlauus vel purpura, ab annulis id eſt equeſtri ordine Senatum, ita medium ordinem tertiumque plebi & patribus annulus inſerui, quem ordinem Cicero in conſulatu ſuo ſtabiliuit, hinc vſu venit, vt qui hodie ad dignitates tolluntur, annulis exornentur, ceu per eum a plebe ſecernantur. Mos fuit hunc gerere in digito ſiniſtræ manus, qui minimo proximus eſt; dicunt, id Ægyptios inueniſſe, quod vena a corde in eum continuata ſit digitum, Atteius Capito ideo exiſtimauit, quia manus illa & digitus ſint minus officioſi, Galliæ, Britanniæque in medio digito dicuntur annulo vſæ, qui poſtea ſolus excipiebatur, & ob id infamis dictus eſt; ſunt, qui dicunt, annulum propterea ſignandum digitis inductum, vt condatur, tanquam res rara & ad iniuriæ vſus indigna; Germani veteres annulo ferreo colla circumdabant, quem non, niſi hoſte cæſo, relaxabant.

Peroratio.

Ut tandem gemmarum interpretationem abſoluam, has meas lucubrationes

Digitized by Google

nes tibi, ampliſſime Præſul, vtcunque elaboratas dedico ac tuo iudicio recognoſcendas, Lidii lapidis loco, examinandas trado, in quibus quidem gemmarum tum naturam, tum ſinceram ſimplicemque nuncupationem, ceu a digniſſimis rerum ſcriptoribus, tum Græcis, tum Latinis, traditam reperi, in medium duxi, omni fœditate a re tam eleganti & ſplendidiſſima proletariorum exploſa, & prorſus eliminata, meoque periculo in hac parte hiſtoriam naturalem, quam ſuis ineptiis deturbarunt, reſtituenda ſumpſi, tuum erit, præſul digniſſime, a blateronibus conatus noſtros tueri, quo ſimul bonas artes adiutes, & mihi calcar adulteriores curſus in hoc campo delumendos ſubdes, Vale, ex ædibus noſtris in Baſilauia Boruſſicorum.

ERASMO STVELER,

Zuickauienſi Senatori: Medico & Hiſtoriographo, Amico ſuo, Chriſtophorus Scheurl Doctor, bene agere optat.

Gemmis affabra rerum natura, nihil abſolutius edidit, magnus in his hominum luxus ſemper fuit, Lolliam Paulinam C. principis coniugem, vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis Seſtertio tunc quadringenties æſtimatam; Cleopatra, Ægypti Regina, ſe vna coena, centies Seſtertium abſumpturam Anthonio pollicita, detractum ex aure, alterum vnionem, in vaſculum aceti merſum, ac mox liquefactum, abſorbuit. Sicut & Clodius, Tragedi Eſopi filius, ſingulos vniones in cœna adſorbendum, ſingulis conuiuis prius oppoſuerat; Gemmas plures Romæ primus omnium Scaurus habuit, & Pompeii Mithridaticus triumphus, primus ad Gemmas & Margaritas, Romanos mores inclinaſſe perhibetur. Tu quoque eruditiſſ. Stella, noſtro æuo fere primus omnium non modo gemmas eleganter deſcripſiſti, & latine loqui docuiſti. Verum etiam a ſuperſtitioſa illa ac anili, imo, magica potius vanitate, quam illis vulgi opinio hucuſque tribuerat, fideliter aſſeruiſti; quare hoſce commentariolos tuos, ex doctiſſimis ſcriptis digeſtos plane gemmeos & Romanos, magis iudicari a te arbiter conſtitutus, publico quam ſpongia dignos, curauique politiſſ. in lucem prodire, vt ita bonarum literarum candidati, lapillos tuos legerent; ſimul ac prægustarent reliqua ingenii tui monumenta, quæ in officina tua literatoria, iamdudum percuſa ſunt, & quotidie etiam parturiuntur, quales ſunt libri duo, de Germaniæ vetuſtatibus, vtraque lingua conſcripti. Item de eduliis quatuor, & quæ decem voluminibus complecteris,

ris. Hiſtoria Boruſſica, quod, ſi omnem tuam operam mihi offers, & in nullo meæ voluntati deeſſe polliceris, hoc vnum a te peto, exigo, efflagito, vt tandem vela ventis permittas, & hæc omnia nos edere ſinas, in hunc modum vigiliarum tuarum condignos fructus ſumes, nomini tuo gloriam comparabis, multis prodeeris, rationem otii tui reddes, & quando diu viuere negatum eſt, te multum vixiſſe teſtabere, & denique de patria optime mereberis, quæ quisque bonus ciuis, ſemper plurimi faciunda putauit. Interea vale & viue feliciter. Datæ Nurenbergæ, Idib. Sextilib. Anno ab incarnata diuinitate D. D. D. XVII.

Finit libellus de Gemmis, Doctoris *Eraſmi Stueler* Zuickarienſis Phyſici & Senatoris præcipui, quem Nurenbergæ imprimebat Federicus Peypus, Menſe Sextili Anno partus virginei. M. D. XVII.

C. PLINII SECVNDI

Naturalis Hiſtoriæ

de Gemmis.

PROOEMIVM

De Origine Gemmarum.

UT nihil inſtituto operi deſit, gemmæ ſuperſunt, & in arctum coacta rerum naturæ maieſtas, multis nulla ſui parte mirabilior. Tantum tribuunt varietati, coloribus, materiæ, decori, violari etiam ſignis gemmas nefas ducentes. Aliquas vero extra pretia vlla, laxationemque humanarum opum arbitrantes, vt pleriſque ad ſummam abſolutamque rerum naturæ contemplationem ſatis ſit vna aliqua gemma. Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initiis in tantum admiratio hæc exarſerit, diximus, quadantenus in mentione auri annulorumque. Fabula primordium a rupe Caucaſea tradunt. Promethei vinculorum interpretatione fatali: primumque ſaxi huius fragmentum incluſum ferro ac digito circumdatum, annulum, & hoc gemmam.

Caput

Cap. I.

De Gemma Polycratis tyranni, & Pyrrhi Regis, & qui ſculptores optimi, & nobilitates artificum, & quis primus dactyliothecam Romæ habuit.

His initiis coepit autoritas, in tantum amorem elata, vt Polycrati Samio ſeuero inſularum ac litorum tyranno felicitatis ſuæ, quam nimiam fatebatur etiam ipſe, ſatis piamenti in vnius gemmæ voluntario damno videretur, ſi cum fortunæ volubilitate paria faceret: planeque ab inuidia eius abunde ſe redimi putaret, ſi hoc vnum doluiſſet. Aſſiduo ergo gaudio laſſus, prouectus nauigio in altum, annulum merſit; At illum piſcis eximia magnitudine reginatus, eſcæ vice raptum, vt faceret oſtentum, in culinam domini rurſus fortunæ inſidiantis manu reddidit. Sardonychen eam gemmam fuiſſe conſtat: oſtenduntque Romæ, ſi credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Auguſtæ dono incluſam, & nouiſſimam prope locum tot prælatis obtinentem. Poſt hunc annulum regia fama eſt gemmæ Pyrrhi illius, qui aduerſus Romanos bellum geſſit. Namque habuiſſe traditur Achatem, in qua IX. Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Nec deinde alia, quæ tradatur, magnopere gemmarum claritas extat apud autores, præterquam Iſmeniam choraulem, multis fulgentibusque vti ſolitum, comitante fabula vanitatem eius, indicato in Cypro ſex aureis denariis Smaragdo, in quo fuerat ſculpta Amymone, iuſſiſſe numerari: & cum duo relati eſſent, imminuto pretio, male me Hercules curatum, dixiſſe: multum enim detractum gemmæ dignitati. Hic videtur inſtituiſſe, vt omnes muſicæ artis hac quoque oſtentatione cenſerentur, veluti Dionyſodorus æqualis eius & æmulus, vt ſic quoque par videretur. Tertius, qui eodem tempore fuit inter muſicos, Nicomachus, multas gemmas habuiſſe traditur, ſed nulla peritia electas: forte quadam his exemplis initio voluminis oblatis aduerſus iſtos, qui ſibi hanc oſtentationem arrogent, vt palam ſit eos tibicinum gloria tumere. Polycratis gemma, quæ demonſtratur, illibata intactaque eſt. Iſmeniæ ætate multos poſt annos, apparet ſcalpi etiam Smaragdos ſolitos. Confirmat hanc eandem opinionem edictum Alexandri M. quo vetuit in gemma ſe ab alio ſcalpi, quàm à Pyrgotele, non dubie clariſſimo artis eius. Poſt eum Apollonides & Cronius in gloria fuere, quique Diui Auguſti imaginem ſimilem expreſſit, qua poſtea Principes ſignabant, Dioſcorides. Sylla Dictator traditione Jugurthæ ſemper ſignauit. Eſt apud

apud autores, & Intercatienſem illum, cuius patrem Scipio Æmilianus ex prouocatione interfecerat, pugnæ eius effigie ſignaſſe: vulgato Stilonis præconini ſale, quidnam fuiſſe facturum eum, ſi Scipio a patre eius interemptus eſſet. Diuus Auguſtus inter initia Sphinge ſignauit. Duas in matris anulis iam indiſcretæ ſimilitudinis inuenerat. Altera per bella ciuilia, abſente eo, amici ſignauere epiſtolas & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi poſtulabat, non infaceto lepore accipientium, ænigmata afferre eam ſphingem. Quin etiam Mœcenatis rana, per collationem pecuniarum in magno terrore erat; Auguſtus ad euitanda conuitia ſphingis, Alexandri imagine ſignauit. Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ priuignus Syllæ Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam, quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona Capitolio dicaret, vt M. Varro aliique eiuſdem ætatis autores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæſar Dictator ſex dactyliothecas in æde Veneris Genitricis conſecrauit: Marcellus Octauia genitus in Palatina Apollinis æde vnam. Victoria tamen illa Pompeii primum ad margaritas gemmaſque mores inclinauit: ſicut L. Scipionis & Cn. Manlii ad cælatum argentum, & veſtes Attalicas, & triclinia ærata: ſicut L. Mummii, ad Corinthia & tabulas pictas.

Cap. II.

De Gemmis translatis in triumpho Pompeii, & natura Cryſtalli, & medicinis, & luxuria circa ea, & natura murrhinorum, & quæ mentiti ſunt autores de ſuccino.

Id vt planius noſcatur, verba ex ipſis Pompeii triumphorum actis ſubiiciam. Ergo tertio triumpho, quem de piratis, Aſia, Ponto, gentibuſque & regibus in ſeptimo operis huius volumine indicatis, M. Piſone & M. Meſſala conſulibus, pridie Cal. Octob. die natalis ſui egit, transtulit alueum cum teſſeris luſorium e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor: & ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit luna aurea pondo XXX. lectos triclinares tres: vaſa ex auro & gemmis abacorum nouem; ſigna aurea tria, Mineruæ, Martis & Apollinis: coronas ex margaritis triginta tres: montem aureum quadratum cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Muſeum ex margaritis, in cuius faſtigio

ſtigio horologium erat. Imago Cn. Pompeii e margaritis, illa regio honore grata, illius probioris venerandique per cunctas gentes, illa, inquam, ex margaritis, ſeueritate victa, & veriore luxuriæ triumpho. Quam profecto inter illos viros duraſſet cognomen Magni, ſi prima victoria ſic triumphaſſes? & margaritis, Magne, tam prodigare, & fœminis reperta, quam gerere te fas non ſit, hinc fieri tuos vultus? ſic te pretioſum videri? Nonne illa ſimilior tui eſt imago, quam Pyrenæi iugis impoſuiſti? Graue profecto foedumque probrum erat, ni verius iræ Deorum oſtentum credi oporteret, clareque intelligi poſſet, iam tum illud caput Orientis opibus ſine reliquo corpore oſtentatum. Cætera triumphi eiusdem quam virilia! Reipublicæ datum mille talentum, legatis & quæſtoribus, qui oras maris defendiſſent, H-S. bina millia, commilitibus ſingulis quinquaginta. Tolerabiliorem tamen fecit cauſam Caii Principis, qui ſuper omnia muliebria ſocculos induebat e margaritis: & Neronis Principis, qui ſceptra & perſonas & cubicula viatoria vnionibus conſtruebat. Quinimo etiam ius videmur perdidiſſe corripiendi gemmata potoria, & varia ſuppellectilis genera, anulos transeuntes. Quæ enim non luxuria innocentior exiſtimari poſſet? eadem victoria primum in vrbem murrhina induxit: primusque Pompeius ſex pocula ex eo triumpho Capitolino Joui dicauit: quæ protinus ad hominum vſum tranſiere, abacis etiam eſcariisque vaſis inde expetitis. Excreſcitque in dies eius rei luxus, murrhino octoginta ſeſterſtiis empto, capaci plane ad ſextarios tres calice. Potauit ex eo ante hos annos Conſularis ob amorem obroſo eius margine, vt tamen iniuria illa pretium augeret: neque eſt hodie murrhini alterius præſtantior indicatura. Idem in reliquis generis eius quantum vorauerit, licet exiſtimare ex multitudine, quæ tanta fuit, vt auferente liberis eius Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim, hortis expoſita occuparent: quod a populo impleri canente ſe, dum Pompeiano præludit, etiam Neroni ſatis erat, qui vidit tunc annumerari vnius ſcyphi fracta membra, quæ in dolorem credo ſeculi inuidiamque fortunæ, tanquam Alexandri M. corpus in conditorio ſeruari, vt oſtentarentur, placabat. T. Petronius conſularis moriturus, inuidia Neronis Principis, vt, menſam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis ſeſtertiis emptam fregit. Sed Nero, vt par erat principem, vicit omnes, trecentis ſeſtertiis lapidem vnum parando. Memoranda res tanti Imperatorem patremque patriæ bibiſſe. Oriens murrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec inſignibus, maxime Parthici Regni: præcipue tamen in Carmania. Humorem putant ſub terra calore denſari. Amplitudine nuſquam paruos excedunt abacos: craſſitudine raro, quanta dictum eſt vaſi potorio. Splendor his ſine viribus, nitorque verius, quam ſplendor. Sed in pretio va-

varietas colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremque, & tertium ex vtroque igneſcentem, velut per tranſitum coloris purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente. Sunt qui maxime in iis laudent extremitates, & quoſdam colorum repercuſſus, quales in cœleſti arcu ſpectantur. His maculæ pingues placent: tranſlucere quicquam aut pallere vitium eſt. It. ſales verucæque non eminentes, ſed vt in corpore etiam plerumque ſeſſiles. Aliqua & in odore commendatio eſt. Contraria huic cauſa cryſtallum facit, gelu vehementiore concreto. Non aliubi certe reperitur, quam vbi maxime hybernæ niues rigent: glaciemque eſſe certum eſt: vnde & Græci nomen dedere. Oriens & hanc mittit, ſed Indicæ nulla præfertur. Naſcitur & in Aſia, viliſſima circa Alabanda & Ortoſiam, finitimisque montibus, it. in Cypro. Sed laudata in Europæ Alpium iugis. Juba autor eſt, & in quadam inſula Rubri maris ante Arabiam ſita naſci, quæ Neron vocetur; & in ea, quæ iuxta gemmam Topazion fuerat, cubitalemque effoſſam a Pythagora Ptolemæi Regis præfecto. Cornel. Bocchus & in Luſitania naſci perquam miranda ponderis, immenſis iugis depreſſis ad libramentum aquæ puteis. Mirum & quod Xenocrates tradit Epheſius, aratro in Aſia & Cypro excitari. Non enim in terreno inueniri, nec niſi inter cautes creditum fuerat. Similius vero eſt, quod idem Xenocrates tradit, torrentibus ſæpe deportari. Sudines vero negat niſi ad meridiem ſpectantibus locis naſci: quod certum eſt: non enim reperitur in aquoſis, quanquam in regione prægelida, vel ſi ad vada vſque glacientur amnes. Coeleſti humore paruaque niue id fieri neceſſe eſt: ideo caloris impatiens, niſi in frigido potu abdicatur. Quare ſex angulis naſcatur lateribus, non facile ratio inueniri poteſt, eo magis quod neque mucronibus eadem ſpecies eſt, & ita abſolutus eſt laterum læuor, vt nulla id arte poſſit æquari. Magnitudo ampliſſima adhuc viſa nobis erat, quam in Capitolio Liuia Auguſta dicauerat, librarum circiter quinquaginta. Idem Xenocrates autor eſt, vas amphorale viſum, & aliqui ex India Cryſtallum ſextariorum quatuor. Nos liquido affirmare poſſumus, in cautibus Alpium naſci, atque adeo inuiis, vt plerumque fune pendentes eam extrahant. Peritis ſigna & indicia nota ſunt. Infeſtantur plurimis vitiis, ſcabro, ferragine, maculoſa nube, occulta aliquando uomica, præduro fragilique centro & ſale appellato. Eſt & ruſſa aliquibus rubigo; aliis capillamentum rimæ ſimile. Hoc artifices cælatura occultant. Quæ vero ſine vitio ſunt, puras eſſe malunt, aceneta appellantes, nec ſpumei coloris lympidæ aquæ. Poſtremo autoritas in pondere eſt. Inuenio medicos, quæ ſunt vrenda corporum, non aliter vtilius id fieri putare, quam cyſtallina pila aduerſis poſitæ ſolis radiis. Alius hic furor, H-S. C. L. M. trullam vnam non ante multos an-

nos

nos mercatam a matrefamilias, nec diuite. Idem Nero amiſſarum rerum nuntio accepto, duos calyces cryſtallinos in ſuprema ira fregit illiſos. Hæc fuit ratio ſeculum ſuum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta ſarciri nullo modo queunt. Mire ad ſimilitudinem acceſſere vitrea, ſed prodigii modo, vt ſuum pretium auxerint cryſtalli, non diminuerint. Proximum locum in delitiis foeminarum tamen adhuc tantum, ſuccina obtinent, eandemque omnia hæc, quam gemmæ, autoritatem, ſane maiorem aliquibus de cauſis cyſtallina & murrhina, rigidi potus vtraque. In ſuccinis cauſam ne delitiæ quidem adhuc excogitauerunt. Occaſio eſt vanitas Græcorum diligentiæ. Legentes modo æque perpetiantur me de ortu eorum, cum hoc quoque interſit vitæ, ſcire poſteros quicquid illi prodidere mirandum. Phætontis fulmine icti ſorores fletu mutatas in arbores populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus: & electrum appellatum, quoniam ſol vocitatus ſit Elector, plurimi poetæ dixere, primique, vt arbitror, Æſchylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Quod eſſe falſum, Italiæ teſtimonio patet. Diligentiores eorum, Electridas inſulas in mari Adriatico eſſe dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. Qua appellatione nullas vnquam ibi fuiſſe, certum eſt: nec vero vllas ibi appoſitas eſſe, in quas quicquam curſu Padi deuehi poſſit. Nam quod Æſchylus in Iberia, h. e. in Hiſpania, Eridanum eſſe dixit, eundemque appellari Rhodanum, Euripides rurſus & Apollonius in Adriatico littore confluere Rhodanum & Padum, faciliorem veniam facit ignorati ſuccini in tanta orbis ignorantia. Modeſtiores ſed æque falſum prodidere, in extremis Adriatici ſinus rupibus in viis arbores ſtare, quæ canis ortu hoc effunderent gummi. Theophraſtus in Liguria effodi dixit. Phaetontem in Æthiopia Hammonis obiiſſe: ob id delubrum ibi eſſe atque oraculum, electrumque gigni. Philemon foſſile eſſe, & in Scythia erui duobus locis: candidum atque cerei coloris, quod vocaretur electrum: in alio loco fuluum, quod appellaretur *ſualternicum.* Demoſtratus Lyncurion id vocat, & fieri ex urina lyncum beſtiarum, e maribus fuluum & igneum, e foeminis languidius atque candidum. Alii dixere ***langurium***, eſſe in Italia beſtias langurias. Zenothemis langas vocat eaſdem, & circa Padum iis vitam affirmat. Sudines arborem, quæ gignat in Liguria. In eadem ſententia & Metrodorus fuit. Sotacus credidit in Britannia arboribus effluere, quas electridas vocauit. Pytheas Guttonibus Germaniæ genti accoli æſtuarium Oceani Mentonomon nomine, ſpatio ſtadiorum ſex millium: ab hoc diei nauigatione inſulam abeſſe Abalum: illo vere fluctibus aduehi, & eſſe concreti maris purgamentum: incolas pro ligno ad ignem vti eo, proximiſque Teutonis vendere. Huic & Timæus credidit, ſed inſulam Baltiam uo-

vocauit. Philemon negauit flammam ab electro reddi. Niceas ſolis radiorum ſuccum intelligi voluit. Hoc circa occaſum credit vehementiores in terram actos, pinguem ſudorem in ea parte Oceani relinquere, deinde æſtibus in Germanorum littora eiici. Et in Ægypto naſci ſimili modo, & vocari *Sacal*, it. in India, gratiusque thure eſſe Indis. In Syria quoque foeminas verticillos inde facere, & vocare *harpaga*, quia folia & paleas veſtiumque fimbrias rapiat. Theophraſtus Oceano id exæſtuante ad Pyrenæi promontorium eiici; quod & Xenocrates credidit, qui de iis nuperrime ſcripſit. Viuit adhuc Aſarubas, qui tradidit iuxta Atlanticum mare eſſe lacum Cephiſida, quem Mauri vocant electrum. Hunc ſole excalfactum e limo dare electrum fluitans Mneſias Africæ. locum Sicyonem appellatum, & Crathin amnem in Oceanum effluentem e lacu, in quo aues, quas Meleagridas & penelopas vocat, viuere. Ibi naſci ratione eadem, qua ſupradictum eſt de electride lacu. Theomenes dicit, iuxta ſyrtim magnam hortum Heſperidum eſſe, ex quo in ſtagnum cadat, colligi vero a virginibus Heſperidum. Cteſias Indis flumen eſſe Hypobarum, quo vocabulo ſignificetur omnia vaſa ferre bona: fluere a Septentrione in exortiuum Oceanum iuxta montem ſylueſtrem arboribus electrum ferentibus. Arbores eas aphytacoras vocari, qua appellatione ſignificetur prædulcis ſuauitas. Mithridates in Germaniæ littoribus eſſe inſulam, vocarique eam Oſerictam, Cedri genere ſyluoſam: inde defluere in petras. Xenocrates non ſuccinum tantum in Italia, verum etiam *thieum* vocari, a Scythis vero *ſacrium*, quoniam & ibi naſcatur. Alios putare in Numidia gigni. Super omnes eſt Sophocles Tragicus poeta, quod equidem miror tanta grauitate cothurni, & præterea vitæ fama, alias principe loco genitus Athenis, rebus geſtis, exercitu ducto. Hic vltra Indiam fieri dixit e lacrymis Meleagridum auium Meleagrum deflentium. Quod & credidiſſe eum, vel ſperaſſe aliis perſuaderi poſſe, quis non miretur? quamue pueritiam tam imperitam poſſe reperiri, quæ auium ploratus annuos credat, lacrymasque tam grandes, auesque e Græcia, vbi Meleager periit, ploratum iſſe in Indos? quid ergo? non multa æque fabuloſa produnt poetæ? Sed hoc ea in re, quæ quotidie inuehatur atque abundet, & hoc mendacium eoarguat, ſerio quenquam dixiſſe, ſumma hominum contemptio eſt, & intoleranda mendaciorum impunitas.

Cap.

Digitized by Google

Cap. III.
De Ortu & Medicinis & generibus & luxuria ſuccinorum, & Lyncurio, & medicinæ.

Certum eſt gigni in inſulis Septentrionalis Oceani, & a Germanis appellari *gleſſum*: itaque & a noſtris vnam inſularum ob id Gleſſariam appellatam, Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente; Auſtrauiam a barbaris dictam. Naſcitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, vt gummi in ceraſis, reſina pineis. Erumpit humoris abundantia: denſatur rigore vel tepore autumnali. Cum intumeſcens æſtus rapuit ex inſulis, certe in littora expellitur, ita volubile, vt pendere videatur atque conſidere in vado; quod arboris ſuccum eſſe priſci noſtri credidere, ob id ſuccinum appellantes. Pineæ autem arboris eſſe indicio eſt pineus in attritu odor, & quod accenſum tedæ modo ac nidore flagret. Affertur a Germanis in Pannoniam maxime prouinciam. Inde Veneti primum, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Pado vero annexo fabulæ videtur cauſa, hodieque transpadanarum agreſtibus foeminis, monilium vice ſuccina geſtantibus, maxime decoris gratia, ſed & medicinæ: quando tonſillis creditur reſiſtere, & faucium vitiis, vario genere aquarum iuxta illos infeſtante guttura ac vicinas carnes DC. fere M. paſſ. a Carnunto Pannoniæ abeſt littus id Germaniæ, ex quo inuehitur, percognitum nuper. Vidit enim eques Romanus, miſſus ad id comparandum a Juliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui hæc commercia & littora peragrauit, tanta copia inuecta, vt retia arcendis feris podium protegentia ſuccinis notarentur, arma vero & Libitina totusque vnius diei apparatus eſſet e ſuccino. Maximum pondus is glebæ attulit XIII. librarum. Naſci & in India certum eſt. Archelaus, qui regnauit in Cappadocia, illinc cortice inhærente tradit aduehi rude, poliríque adipe ſuis lactentis incoctum. Liquidum primo deſtillare argumento ſunt quædam intus translucentia, vt formicæ aut culices, lacertæque, quas adhæſiſſe muſteo non eſt dubium, & incluſas intureſcendi. Genera ius plura. Candida odoris præſtantiſſimi; ſed nec his, nec cereis pretium. Fuluis maior autoritas. Ex iis etiamnum amplior translucentibus, præterquam ſi nimio ardore flagrent: imaginemque igneam ineſſe, non ignem, placet. Summa laus Falernis a vini colore dictis, molli fulgore perſpicuis. Sunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat. Verum hoc quoque notum fieri oportet, quocunque libeat, tingi, hædorum ſeuo & Auchuſæ radice; quippe etiam conchylio in-

inficiuntur. Cæterum attritu digitorum accepta caloris anima trahunt in ſe paleas ac folia arida, ac philyras, vt magnes lapis ferrum. Ramenta quoque eius in oleo addita flagrant dilucidius diutiusque, quam lini medulla. Taxatio in delitiis tanta, vt hominis quamuis parua effigies, viuorum hominum vigentiumque pretia ſuperet, prorſus vt caſtigatio vna non ſit ſatis. In Corinthiis æs placet auro argentoque mixto, in cælatis ars & ingenia. Murrhinorum & cryſtallinorum diximus gratiam: vniones, quod capite circumferuntur, gemmæ digitis: in omnibus denique aliis vitiis oſtentatio aut uſus placet: in ſuccinis delitiarum tantum conſcientia. Domitius Nero in cæteris vitæ ſuæ portentis, capillos quoque coniugis ſuæ Poppeæ in hoc nomen adoptauerat, quodam etiam carmine ſuccina appellando. Et quoniam nullis vitiis deſunt pretioſa nomina, ex eo tertius quidam hic colos cœpit expeti a matronis. Vſus tamen ſuccinorum inuenitur aliquis in medicina: ſed non ob hoc foeminis placent. Infantibus adalligari amuleti ratione prodeſt. Calliſtratus & cuicunque ætati contra lymphationes prodeſſe tradit, & vrinæ difficultatibus potum, adalligatumque. Hic & differentiam nouam attulit appellando *chryſelectrum*, quaſi coloris aurei, & matutino gratiſſimo aſpectu, rapaciſſimum ignium, &, ſi iuxta fuerint, celerrime ardeſcens. Hoc collo adalligatum, mederi febribus & morbis: tritum cum melle ac roſaceo aurium vitiis; & ſi cum melle Attico conteratur, oculorum quoque obſcuritatibus. Stomachi etiam vitiis per ſe farina eius ſumpta, vel cum Maſtiche ex aqua pota. Succina etiam gemmis, quæ ſunt translucidæ, adulterandis magnum habent locum, maxime Amethyſtis, cum omni, vt diximus, colore tingantur. De *Lyncurio* proxime dici cogit autorum pertinacia. Quippe etiam ſi non electrum id eſſet, *lyncurium* tamen gemmam eſſe contendunt. Fieri autem ex vrina quidem lyncis, ſed egeſtam terra protinus beſtia operiente eam, quoniam inuideat hominum vſui. Eſſe autem, qualem in igneis ſuccinis, colorem, ſcalpique. Nec folia tantum aut ſtramenta ad ſe rapere, ſed æris etiam ac ferri laminas, quod Diocles quidem & Theophraſtus credidit. Ego falſum id totum arbitror, nec viſam in æuo noſtro gemmam vllam ea appellatione, & quod de medicina ſimul proditur, calculos veſicæ eo poto elidi, & morbo regio occurri, ſi ex vino bibatur, aut ſi portetur etiam. Nunc gemmarum confeſſa genera dicemus, a laudatiſſimis orſi. Nec vero id ſolum agemus, ſed ad maiorem vtilitatem vitæ obiter coarguetur maiorum infanda vanitas, quando illi vel plurima prodidere de gemmis, medicinæ ex his ſpecies blando prodigio transgreſſi.

Cap.

Cap. IV.

De Adamantis generibus & medicinis, & Margaritis.

Maximum in rebus humanis, non ſolum inter geminas, pretium habet *adamas*, diu non, niſi regibus, & iis admodum paucis cognitus, vnus modo in metallis repertus, perquam raro comes auri, nec niſi in auro naſci videbatur. Veteres eum in Æthiopum tantum metallis inueniri exiſtimauere, inter delubrum Mercurii atque inſulam Meroen, dixeruntque non ampliorem cucumeris ſemine, aut colore diſſimilem inueniri. Nunc genera eius ſex noſcuntur: Indici, non in auro naſcentis, ſed quadam cryſtalli cognatione. Siquidem & colore translucido non diſſert, & laterum ſexangulo læuore turbinatus in mucronem, aut duabus contrariis partibus, quo magis miremur, vt ſi duo turbines latiſſimis ſuis partibus iungantur: magnitudine vero etiam auellanæ nuclei. Similis eſt huic quidem Arabicus, minor tamen, ſimiliter & naſcens: cæteris pallor gentis, & in auro non, niſi excellentiſſimo, natalis. Incudibus hi deprehenduntur; ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrinque diſſultet incudesque etiam ipſæ diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens. Unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. Unum ex eis vocant *Cenchron*, quod eſt milii magnitudine. Alterum Macedonicum in Philippico auro repertum: & hic eſt cucumis ſemini par. Poſt hos Cyprius vocatur, in Cypro repertus, vergens in æreum colorem, ſed in medicina, vt dicemus, efficaciſſimus. Poſt hunc eſt *Siderites* ferrei ſplendoris, pondere ante cæteros, ſed natura diſſimilis. Nam & ictibus frangitur, & alio adamante perforari poteſt: quod & Cyprio euenit: breuiterque, vt degeneres, nominis tantum autoritatem habent. Idque, quod totis voluminibus his docere & mandare conati ſumus, de diſcordia rerum concordiaque, quam antipathiam ac ſympathiam appellauere Græci, non aliter clarius intelligi poteſt; Siquidem illa inuicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quam recenti calidoque macerata, & ſic quoque multis ictibus, tunc etiam, præterquam eximias, incudes, malleosque ferreos frangens. Cuius hoc ingenio inuentum? quoue caſu repertum? aut quæ fuit coniectura experiendi rem immerſi ſecreti, & in foediſſimo animalium? Numinum profecto muneris talis inuentio omnis eſt. Nec quærenda in vlla parte naturæ ratio, ſed voluntas, Et cum feliciter rumpere contingit, in tam paruas frangitur cruſtas, vt

cerni vix poſſint. Expetuntur a ſcalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cauantes. Adamas diſſidet cum Magnete lapide in tantum, vt iuxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi: aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat. Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente: & ob id quidam eum *anachiten* vocauere. Metrodorus Scepſius, in eadem Germania, & Baltia inſula naſci, in qua & ſuccinum, quod equidem legerim, ſolus dicit: & præfert Arabicis: quod falſum eſſe quis dubitet? Proximum apud nos Indicis Arabicisque margaritis pretium eſt, de quibus in nono diximus volumine inter res marinas.

Cap. V.

De Smaragdi generibus, & gemmis viridibus & translucidis.

Tertia autoritas *Smaragdis* perhibetur pluribus de cauſis. Nullius coloris aſpectus iucundior eſt. Nam herbas quoque virentes frondesque auide ſpectamus. Smaragdos vero tanto lubentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu Smaragdi recreatur acies. Scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent. Præterea longinquo amplificantur viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aera, non ſole mutati; non vmbra, non lucernis, ſemperque ſenſim radiantes, & viſum admittentes, ad craſſitudinem ſui facilitate translucida: quod etiam in aquis non fit. Iidem plerumque & concaui, & viſum colligunt. Quapropter decreto hominum iis parcitur ſcalpi vetitis. Quanquam Scythicorum Ægyptiorumque duritia tanta eſt, vt nequeant vulnerari. Quorum vero corpus extenſum eſt, eadem, qua ſpecula, ratione ſupini imagines rerum reddunt. Nero princeps gladiatorum pugnas ſpectabat Smaragdo. Genera eorum duodecim: Nobiliſſimi Scythici, ab ea gente, in qua reperiuntur, appellati. Nullius maior auſteritas, nec minus vitii. Et quantum Smaragdi a gemmis diſtant, tantum Scythici a cæteris Smaragdis. Proximam laudem habent ſicut & ſedem, Bactriani, quos in commiſſuris ſaxorum colligere dicuntur Eteſiis flantibus. Tunc enim tellure internitent, quia iis ventis maxime harenæ mouentur. Sed hos minores multo Scythicis eſſe tradunt. Tertium locum Ægyptii habent, qui eruuntur circa Copton, oppidum Thebaidis in collibus & cautibus. Reliqua genera in metallis ærariis inueniuntur, Quapropter principatum ex iis Cyprii obtinent:

tinent: dosque eorum eſt nec in colore liquido nec diluto, verum ex humido pingui, quaque perſpiciatur, imitante translucidum mare; pariterque tranſlucet & nitet, h. e. colorem expellit, & aciem recipit. Ferunt in ea inſula tumulo reguli Herniæ iuxta cetarias marmoreo leoni fuiſſe inditos oculos ex Smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, vt territi inſtrumenta refugerent thynni, diu mirantibus nouitatem piſcatoribus, donec mutauere oculis gemmas. Sed & vitia demonſtrari oportet, in tam procliui erratu. Sunt quidem omnium eadem, Quædam tamen nationum peculiaria, ſicut in homine. Ergo Cyprii varie glauci, magisque ac minus in eodem Smaragdo aliis partibus tenorem, illum Scythicæ autoritatis non ſemper cuſtodiunt. Ad hoc quibusdam intercurrit vmbra, ſurdusque fit colos: qui improbatur etiam dilutior. Hinc genera diſtinguuntur. Sunt aliqui obſcuri, quos vocant coecos; alii denſi, nec e liquido translucidi; quidam varia nubecula improbati. Aliud eſt hoc, quam vmbra, de qua diximus. Nubecula enim albicantis eſt vitium, cum viridis non pertranſit aſpectus, ſed aut intus occurrit, aut excipit in fine viſum candor. Hæc coloris vitia: illa corporis, capillamentum, ſal, plumbago. Ab iis Æthiopici laudantur a Copto dierum trium itinere, vt autor eſt Juba, acriter virides, ſed non facile puri aut concolores. Democritus in hoc genere ponit Hermineos & Perſicos. Illos extumeſcentes pinguiter; Perſicos vero non translucidos, ſed iucundi tenoris, viſum implere, quem non admittant felium pantherarumque oculis ſimiles. Namque & illos radiare nec perſpici. Eosdem in ſole hebetari, vmbris, refulgere, & longius, quam cæteros, nitere. Omnium horum etiamnum vitium, quod fellis colorem, aut aeris habet. In ſole dilucidi quidem ac liquidi, ſed non virides. Hæc vitia & Atticis maxime ſentiuntur in argentariis metallis repertis, in loco, qui Thoricos vocatur, ſemper minus pingues, & e longinquo ſpecioſiores. Frequens & iis plumbago, h. e. vt in ſole plumbei videantur. Illud peculiare, quod quidam ex iis ſeneſcunt, paulatim viriditate euanida, & ſole læduntur. Poſt hos medici plurimum viriditatis habent, interdum & e Sapphiro. Ii ſunt fluctuoſi, ac rerum imagines complexi, vt v. g. papauerum aut auium, pinnarumque vel catulorum & ſimilium. Qui non omnino virides naſcuntur, vino & oleo meliores fiunt: neque eſt aliorum magnitudo amplior. Carchedonii neſcio an in totum exoleuerint, poſtquam metalla æris ibi defecerunt: & ſemper tamen, viliſſimi fuere minimique. Iidem fragiles, ſed colore incerti, & virentium in caudis pauonum columbarumque collo plumis ſimiles, ad inclinationem magis aut minus lucidi, venoſi quidem ſquamoſique. Peculiare erat in his vitium ſarcicon appellatum: hoc eſt, quædam gemmæ caro. Mons iuxta Carchedonem, in quo legebantur, *Smaragdites*

vocatus eſt. Juba eſt autor, Smaragdum, quem *cholon* vocant, in Arabia ædificiorum ornamentis includi & lapidem, quem Alabaſtriten Ægyptii vocant. Complures vero e proximis Laconicos in Taygeto monte erui Medicis ſimiles, & alios in Sicilia. Inſeritur Smaragdis, & quæ vocatur *tanos*, e Perſis veniens gemma, ingrate viridis, atque intus ſordida. It. *Chalcoſmaragdos* e Cypro, turbida æreis venis. Theophraſtus tradit, in Ægyptiorum commentariis reperiri, regi eorum a Rege Babylonio miſſum Smaragdum munere IV. cubitorum longitudine, & trium latitudine. Et fuiſſe apud eos in Jouis delubro obeliſcum e IV. Smaragdis XL. cubitorum longitudine, latitudine vero in parte quatuor, in parte duorum. Se autem ſcribente, eſſe in Tyro Herculis templo ſtantem pilam e Smaragdo, niſi potius *pſeudoſmaragdus* ſit. Nam & hoc genus reperiri, & in Cypro inuentum ex dimidia parte Smaragdum, ex dimidia Jaſpidem, nondum humore in totum transfigurato. Apion cognominatus Pliſtonices, paulo ante ſcriptum reliquit, eſſe etiam nunc in Labyrintho Ægypti coloſſeum Serapin e Smaragdo nouem cubitorum. Eandem multis naturam aut certe ſimilem habere *berylli* videntur, in India originem habentes, raro alibi reperti. Poliuntur omnes ſexangula figura artificum ingeniis, quoniam hebeteſcunt, ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eundem. Probatiſſimi ſunt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi, qui vocantur *chryſoberylli*, & ſunt paulo pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic eſt pallidius, & a quibusdam proprii generis exiſtimatur, vocaturque *chryſophraſus*. Quarto loco numerantur *hyacintizontes*. Quinto quos *aeroides* vocant. Poſt eos autem *cerini*: ac deinde *oleagini*, h. e colore olei. Poſtremi cryſtallis fere ſimiles. Hi capillamenta habent ſordesque, alioquin euanidi, quæ ſunt omnium vitia. Inde mire gaudent longitudine eorum, ſolosque gemmarum eſſe prædicant, qui carere auro malint: ob id perforatos elephantorum ſetis religant. Et alios conuenit non oportere perforari, quorum ſit abſoluta bonitas, vmbilicis ſtatim ex auro capita comprehendentibus. Ideo cylindros ex iis facere malunt, quam gemmas, quoniam eſt ſumma commendatio in longitudine. Quidam & anguloſos putant ſtatim naſci, & perforatos gratiores fieri medulla candoris exempta, additoque auro repercuſſa aut omnino caſtigata cauſa perſpicuitatis ad craſſitudinem. Vitia præter iam dicta eadem fere, quæ in Smaragdis, & pterygia. In noſtro orbe aliquando circa Pontum inueniri putantur. Indi & alias quidem gemmas cryſtallo inuento adulterare reperêrunt, ſed præcipue beryllos.

Cap.

Cap. VI.

De Opali generibus, & vitiis, & experimentis, & variis gemmis.

Minimum, iidemque plurimum ab iis differunt *opali*, Smaragdis tantum cedentes. India ſola & horum eſt mater, atque ideo pretioſiſſimam gloriam compoſitores gemmarum & maxime inenarrabilem difficultatem dederunt. Eſt enim in iis Carbunculi tenuior ignis, & Amethyſti fulgens purpura, eſt Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia. Alii ſummo fulgoris argumento colores pigmentorum æquauere: alii ſulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accenſi. Magnitudo nucem auellanam æquat, inſigni apud nos hiſtoria. Siquidem extat hodieque huius generis gemma, propter quam ab Antonio proſcriptus Nonius Senator eſt, filius Strumæ Nonii eius, quem Catullus poeta in ſella curuli viſum indigne tulit auusque Seruilii Noniani, quem conſulem vidimus: illeque proſcriptus fugiens, hunc e fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum, quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum. Sed mira Antonii feritas atque luxuria, propter gemmam proſcribentis: nec minor Nonii contumacia, proſcriptionem ſuam amantis, cum etiam feræ abroſas partes corporis relinquant, propter quas ſe periclitari ſciant. Vitia Opali, ſi color in florem herbæ, quæ vocatur Heliotropium, exeat, aut Cryſtallum, aut grandinem: ſi ſal interueniat aut ſcabritia, aut puncta oculis occurſantia: nulloſque magis India ſimilitudine indiſcreta vitro adulterat. Experimentum in ſole tantum. Falſis enim contra radios libratis digito ac pollice, vnus atque idem translucet colos in ſe conſumptus. Veri fulgor ſubinde variat, & plus huc illucque ſpargit, & fulgor lucis in digitos funditur. Hanc gemmam propter eximiam gratiam plerique appellauere *pæderota*. Sunt & qui priuatum genus eius faciunt, *ſangenonque* ab Indis vocari dicunt. Traduntur naſci & in Ægypto & in Arabia, & viliſſimi in Ponto. It. in Galatia ac Thaſo & Cypro. Quippe Opali gratiam habet: ſed mollius nitet raro non ſcaber. Summa coloris ex ære & purpura conſtat: viriditas Smaragdi deeſt. Conſtatque melior ille color, cuius fulgor vini colore fuſcatur, quam qui diluitur aqua. Hactenus de principatu conuenit, mulierum maxime ſenatusconſulto. Minus certa ſunt, de quibus & viri iudicant. Singulorum enim libido ſingulis pretia facit, & præcipue regum. Claudius Cæſar Smaragdos induebat & ſardonychas. Primus autem Romanorum ſardonyche vſus eſt prior Africanus, vt tradit Demoſtratus, & inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberri.

Cap. VII.

De generibus Carbunculorum; & vitiis, & experimentis, & gemmis ardentibus.

Principatum habent *Carbunculi*, a ſimilitudine ignium appellati, cum ipſi non ſentiant ignes, ob id a quibusdam *apyroti* vocati. Horum genera, Indici & Garamantici, quos & *Carchedonios* vocauere, propter opulentiam Carthaginis magnæ. Adiiciunt Æthiopicos & Alabandicos, in Orthoſia caute naſcentes, ſed qui perficiantur Alabandis. Præterea in omni genere maſculi appellantur acriores, at foeminæ, languidius refulgentes. In maſculis quoque obſeruant liquidioris alios flammæ, nigrioris alios, & quosdam lucidius, ac magis cæteris in ſole flagrantes. Optimos vero amethyſtizontas, h. e. quorum extremus igniculus in Amethyſti violam exeat; proximos illis, quos vocant *Syrtitas* pinnato fulgore radiantes. Inueniri autem vbicunque maxime ſolis repercuſſu. Satyrus Indicos non ſatis eſſe claros dicit, ac plerunque ſordidos, ac ſemper fulgoris retorridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes, ſed conuoluto igne flagrare. Calliſtratus fulgorem Carbunculi debere candidum eſſe poſiti, extremo viſu nubilantem: ſi attollatur, exardeſcentem: ob id a plerisque hunc carbunculum candidum vocari. Qui languidius ac liuidius ex Indicis luceant, *lithizontas* appellari. Carchedonios multo minores eſſe: Indicos etiam in ſextarii vnius menſuram cauari. Archelaus Carchedonios nigrioris aſpectus eſſe, ſed igne, vel ſole, & inclinatione acrius, quam cæteros, excitari. Eosdem vmbrante tecto purpureos videri, ſub cœlo flammeos, contra radios ſolis & ſcintillare, ceras ſignantibus his liqueſcere, quamvis in opaco. Multi Indicos Carchedoniis candidiores eſſe, & e diuerſo inclinatione hebetari ſcripſere: etiamnum in Carchedoniis maribus ſtellas intus ardere, foeminas fulgorem vniuerſum fundere extra ſe. Alibandicos cæteris nigriores eſſe ſcabrosque. Naſcuntur & in Thracia coloris eiusdem, ignem minime ſentientes. Theophraſtus autor eſt, & in Orchomeno Arcadiæ inueniri, & in Chio. Illos nigriores, e quibus & ſpecula fieri. Eſſe & Trœzenios varios interuenientibus maculis albis: it. Corinthios ex pallidiore candidos. Maſſilia quoque importari Bocchus & Olyſſipone ſcripſit magno labore ob argillam ſole aduſtis ſaltibus. Nec eſt aliud difficilius, quam diſcernere hæc genera; tanta eſt in eis occaſio artis, ſubditis per quæ translucere cogantur Aiunt ab Æthiopibus hebetiores in aceto maceratos quatuordecim diebus miteſcere, totidem menſibus durante fulgore. Adulterantur vitro ſimillime, ſed cote deprehenduntur, ſicut aliæ gemmæ factitiæ: mollior enim materia & fragilis & centroſa ſcobe

Aſſo. In India trium generum: rubrum, & quod demium vocant a pinguedine, tertium quod argenteis bracteis ſublinitur. Indicæ perlucent: craſſiores ſunt Arabicæ. Inueniuntur & circa Ægyptum, quæ bractea aurea ſublinuntur. Et in his autem mares excitatius fulgent: fœminæ pinguiores ſunt, & craſſius nitent. Nec fuit alia gemma apud antiquos vſu frequentior. Hac certe apud Menandrum & Philemonem fabulæ ſuperbiunt. Nec vllæ tranſlucentium tardius ſuffuſo humore hebetantur, olloque magis, quam alio liquore. Damnantur in iis melleæ, & validius teſtaceæ.

Cap. VIII.

De generibus Topazii, & Callaide, de gemmis viridibus non tranſlucentibus.

Egregia etiamnum *Topazio* gloria eſt, ſuo virenti genere, & cum reperta eſt, prælatæ omnibus. Id accidit in Arabiæ inſula, quæ Chitis, vocatur, in qua Troglodytæ prædones, cum diutius fame & tempeſtate preſſi, herbas radicesque effoderent, eruerunt *topazion*. Hæc Archelai ſententia eſt. Juba Topazon inſulam in Rubro mari a continente ſtadiis CCC. abeſſe tradit; nebuloſam & ideo quæſitam ſæpe nauigantibus, ex ea cauſa nomen accepiſſe. Topazin enim Troglodytarum lingua ſignificationem habere quærendi. Ex hac primum importatam Berenicæ Reginæ, quæ fuit mater ſequentis Ptolemæi, a Philemone, præfecto regis, ac mire placuiſſe, & inde factam ſtatuam Arſinoæ Ptolemæi Philadelphi vxori quatuor cubitorum, ſacratam in delubro, quod aureum cognominabatur. Recentiſſimi autores & circa Thebaidis Alabaſtrum oppidum naſci dicunt: duo eius genera faciunt, *praſoidem* atque *Chryſopteron* ſimilem Chryſopraſio. Eius enim tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur. Eſt autem ampliſſima gemmarum. Eadem ſola nobilium limam ſentit: cæteræ Naxiis cotibus poliuntur. Hæc & vſu atteritur. Comitatur eam ſimilitudine propior, quam autoritate, *Callais*, e viridi pallens. Naſcitur poſt auerſa Indiæ apud incolas Caucaſi montis Phicaros ac Aſdatas amplitudine conſpicua, ſed fiſtuloſa ac ſordium plena. Sincerior multo præſtantiorque in Carmania. Utrobique autem in rupibus inuiis & gelidis, oculi figura extuberans, leuiterque adhærens, nec vt agnata petris, ſed vt appoſita. Quapropter ſcandere ad eam pigritia pedum equeſtres populos tædet, ſimul & periculum terret. Ergo fundis e longinquo inceſſunt, & cum toto muſco excutiunt. Hoc vectigal, hocque geſtamen diuites in ceruice gratiſſimum norunt. Hic cenſus, hæc gloria a pueritia deiectorum numerum prædicantium, in quo varia fortuna. Quidam ictu primo coepere præclaras, multi inſectando nullas. Et venatus quidem *Callaidis* talis: ſectura formantur, alias fragiles. Optimus color Smaragdi: vt tamen apparet ex a-

lie-

lieno eſt quod placeant. Incluſæ decorantur auro, aurumque nullæ magis decent. Quæ ſunt earum pulchriores, oleo, vnguento, & mero colorem deperdunt. Viliores conſtantius repræſentant : neque eſt imitabilior alia mendacio vitri. Sunt qui in Arabia inueniri eas dicant in nidis auium, quas melancoryphos vocant. Viridantium & alia plura ſunt genera. Vilioris eſt turbæ *praſius* : cuius alterum genus ſanguineis punctis abhorret : tertium virgulis tribus diſtinctum eſt candidum. Præfertur his *Chryſophraſius*, porri ſuccum & ipſa referens, ſed hæc paulum declinans a Topazio in aurum. Huic & amplitudo ea eſt, vt cymbia etiam ex ea fiant : cylindri quidem celerrime. India & has generat, & *nilion* fulgore hebeti ac breui, & cum intueare, fallaci. Sudines dicit & in Syueto Atticæ flumine naſci. Eſt autem color fumidæ topazii, aut aliquando melleæ : Juba in Æthiopia gigni tradit, in litoribus amnis, quem Nilum vocamus, & inde nomen trahere. Non translucet *Molochites* ſpiſſius virens, a colore Maluæ nomine accepto, reddendis laudata ſignis, & infantium cuſtodia quadam innato contra pericula ipſorum medicamine. Viret, & ſæpe translucet Jaſpis, etiam ſi victa a multis, antiquitatis tamen gloriam retinens. Plurimæ ferunt eam gentes, Smaragdo ſimilem Indi : Cypros duram glaucoque pingui : Perſæ aeri ſimilem : ob id vocatur *aerizuſa*. Talis & Caſpia eſt ; coerulea circa Thermodoontem amnem : in Phrygia purpurea : in Cappadocia ex purpura - coerulea, atque non reſulgens. Amilos Indicæ ſimilem mittit, Chalcedon turbidam. Sed minus refert nationes, quam bonitates, diſtinguere. Optima ergo, quæ purpuræ quicquam habet ; ſecunda, quæ roſæ : tertia, quæ Smaragdi. Singulis autem Græci nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur *Borea*, coelo autumnali matutino ſimilis : & hæc erit illa, quæ vocatur *aerizuſa*. Similis eſt & Sardæ, imitata & violas. Non minus multæ ſpecies reliquæ, ſed omnes in vitio coeruleæ aut cryſtallo ſimiles, aut myxis. It. *therebinthizuſa*, improprio, vt arbitror, cognomine, velut e multis eiusdem generis compoſita gemmis. Quamobrem præſtantiores funda clauduntur, id eſt, patentes, nec præterquam margines auro amplectente. Vitium eſt & breuis in iis nitor, & longe ſplendens, & ſal, & omnia, quæ in cæteris. Et vitro adulterantur : quod manifeſtum fit, cum extra fulgorem ſpargunt, atque non in ſe continent : nec diuerſæ, quas ſphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantum dato, quoniam optime ſignent.

Cap. IX.

De Jaſpidum generibns.

Totus vero Oriens pro amuletis traditur geſtare eam, quæ ex iis Smaragdo ſimilis eſt, & transuerſa linea alba media præcingitur, & *grammatias* vocatur, quæ pluribus *polygrammos*, Libet obiter vanitatem magicam hic quoque coarguere, quo-

Digitized by Google

quoniam hanc concionantibus vtilem eſſe prodiderunt. Eſt & *Onychipuncta*, quæ *Jaſponix* vocatur, & nubem complexa, & niues imitata. Hæc ſtellata rutilis punctis eſt, & ſali Megarico ſimilis, & veluti fumo infecta, quæ *capnias* vocatur. Magnitudinem Jaſpidis vndecim vnciarum vidimus, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam. Reddetur & per ſe cyanos, accommodato paulo ante Jaſpidis nomine, colore coeruleo. Optima Scythica, dein Cypria, poſtremo Ægyptia. Adulteratur maxime tinctura, idque in gloria Regis Ægyptii adſcribitur, qui primus eam tinxit. Diuiditur autem & hæc in mares foeminaſque. Ineſt ei aliquando & aureus puluis, non qualis in ſapphirinis. Sapphirus enim & aureis punctis collucet. Coeruleæ & ſapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nuſquam tamen perlucidæ. Præterea inutiles ſcalpturæ interuenientibus cryſtallinis centris. Quæ ſunt ex iis cyanei coloris, mares exiſtimantur. Alius ex hoc ordo purpureis dabitur, & ab illis deſcendentibus. Principatum *Amethyſti* Indicæ tenent. Sed in Arabiæ quoque parte, quæ finitima Syriæ petræa vocatur, & in Armenia minore, & in Ægypto, & in Gallia reperiuntur: ſordidiſſimæ autem viliſſimæque in Thaſo & Cypro. Cauſam nominis afferunt, quod vſque ad vini colorem accedens priuſquam eum deguſtet, in violam deſinat: fulgorque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, ſcalpturis faciles, Indicæ abſolutum felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aſpectu leniter blandum, neque in oculos, vt carbunculi, vibrat. Alterum earum genus deſcendit ad hyacinthos. Hunc colorem Indi ſacon vocant, talem gemmam *ſacadion*. Dilutior ex eodem *ſapinos* vocatur. Eadem *paranites* in contermino Arabiæ, gentis nomine. Quartum genus colorem vini habet. Quintum ad vicinam cryſtalli deſcendit, albicante purpuræ deiectu. Hoc & minime probatur, quando præcellens debet eſſe in ſuſpectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leuiter roſeus nitor. Tales aliqui malunt *pæderotas* vocari, alii *anterotas*, multi *Veneris gemmam*, quod maxime videtur decere & ſpecie & colore extremo gemmæ. Magorum vanitas reſiſtere ebrietati eas promittit, & inde appellatas. Præterea ſi lunæ nomen ac ſolis ſcribatur in iis, atque ita ſuſpendantur e collo capillis cynocephali vel plumis hirundinis reſiſtere veneficiis. Jam vero quomodo adeſſe Reges adituris. Grandinem quoque auertere, ac ſimilia, & locuſtas, precatione addita, quam demonſtrant. Nam e Smaragdis quoque ſimilia promiſere, ſi aquilæ ſcalperentur, aut ſcarabæi: quæ quidem ſcripſiſſe eos non ſine contemptu & irriſu generis humani arbitror. Multum ab ea diſtat *thyacinthos*, tamen e vicino deſcendens. Differentia hæc, quod ille emicans in Amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in

H hya-

Digitized by Google

hyacintho. Primo quoque aſpectu gratus, euaneſcit antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, vt pene non attingat, marceſcens celerius nominis ſui flore. *Hyacinthos* Æthiopia mittit & *chryſolithos*, aureo colore translucentes. Præferuntur iis Indicæ, & ſi variæ non ſint, Bactrianæ. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ ſunt & variæ, & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ limpidæ contigere, veluti ſcobe ſua refertæ. Optimæ vero ſunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Funda includuntur perſpicuæ. Cæteris ſubiicitur orichalcum. Tametſi iam expertes gemmarum vſu appellantur aliqui & *chryſelectri*, in colorem electri declinantes, matutino aſpectu iucundiore. Ponticas deprehendit leuitas. Quædam in iis duræ ſunt ruſæque, quædam molles & ſordidæ. Bocchus autor eſt, & in Hiſpania repertas, quo in loco cryſtallum dicit ad libramentum aquæ puteis defoſſis inde rutam. Et Chryſolithon XII. pondo a ſe viſam. Fiunt & *leucochryſi* interueniente candida vena. Sunt in hoc genere *capniæ*. Sunt & vitreis ſimiles, veluti croco reſulgentes. Vitreæ vero, vt viſu diſcerni non poſſint. Tactus autem deprehendit, tepidior in vitreis. In eodem genere ſunt *melychryſi*, veluti per aurum ſincero melle translucente, quas India mittit, quanquam ad iniuriam fragiles. Eadem & *Xyſtion* parit, plebeiam ibi gemmam. Candidarum dux eſt *pæderos*: quanquam poteſt quæri, an in colore numerari debeat, toties iactati per alienas pulchritudines nominis, adeo decoris prærogatiua in vocabulo facta eſt. Eſt & ſuum genus expectatione tanta dignum. Coeunt in translucidam cryſtallum viridis ſuo modo aer, ſimulque purpura, & quidam vini aureus nitor, ſemper extremus in viſu: ſed purpura coronatus madere ſingulis videtur his, & pariter omnibus. Nec gemmarum vlla eſt liquidior, capiti iucunda, ſuauis & oculis. Laudatiſſima eſt Indis, apud quos *argenon* vocatur. Proxima apud Ægyptios, vbi *ſenites*. Tertia in Arabia, verum ſcabra. Mollius radiat Pontica & Aſiatica. Ipſæ vero molliores ſunt, Galatica & Thracia & Cypria. Vitia earum languor, aut alienis turbari coloribus, & quæ cæterarum. Proxima candicantium eſt *aſteria*, principatum habens proprietate naturæ, quod incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eademque contraria ſoli regerens candicantes radios, vnde nomen inuenit, difficilis ad cælandum. Indicæ præfertur in Carmania nata. Similiter candida eſt, quæ vocatur *aſtrios*, cryſtallo propinquans, in India naſcens, & in Pallenes littoribus: intus a centro ceu ſtella lucet fulgore lunæ plenæ. Quidam cauſam nominis reddunt, quod aſtris oppoſita fulgorem rapiat, ac regerat. Optimam in Carmania gigni, nullamque minus obnoxiam vitio. Ceraunium enim vocari, quæ ſit deterior. Peſſimam lucernarum lumini ſimilem. Celebrant

Aſtro-

Digitized by Google

Aſtroiten, miraſque laudes eius in magicis artibus Zoroaſtrem ceciniſſe. Quidam diligentius de ea prodũt. *Aſtrobolon* Sudines dicit oculis piſcium ſimilem eſſe, & radiare candido, vt ſolem.. Eſt inter candidas & quæ *Ceraunia* vocatur, fulgorem ſiderum rapiens. Ipſa cryſtallina, ſplendoris cœrulei, in Carmania naſcens. Albam eſſe Zenothemis fatetur, ſed habere ſtellam concurſantem. Fieri & hebetes ceraunias, quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas concipere ſtellam eam, quæ poſt totidem menſes relangueſcat. Sotacus & alia duo genera fecit ceauniæ, nigras rubenteſque, ac ſimiles eas eſſe ſecuribus: per illas, quæ nigræ ſunt & rotundæ vrbes expugnari & claſſes, eaſque *betulos* vocari: quæ vero longæ ſunt, *ceraunias*. Faciunt & aliam raram admodum, & Parthorum Magis quæſitam, quoniam non alibi inueniatur, quam in loco fulmine icto. Proximum cerauniæ nomen apud eos habet, quæ appellatur *Iris*. Effoditur in quadam inſula rubri maris, quæ diſtat a Berenice vrbe, ſexaginta millia paſſ. cætera ſui parte cryſtallus. Itaque quidam radicem cryſtalli eſſe dixerunt. Vocatur ex argumento *Iris*. Nam ſub tecto percuſſa ſole ſpecies & colores arcus cœleſtis in proximos parietes eiaculatur, ſubinde mutans, magnaque varietate admirationem ſui augens. Sexangulam eſſe, vt cryſtallum, conſtat. Sed eſſe aliquas ſcabris lateribus & angulis inæqualibus dicunt, in ſole aperto proiectas, radios in ſe cadentes diſcutere: aliquas vero ante ſe proiecto nitore adiacentia illuſtrare. Colores vero, non niſi ex opaco reddunt, nec vt ipſæ habeant, ſed vt repercuſſu parietum elidant: optimaque, quæ maximos arcus facit ſimillimoſque cœleſtibus. Eſt & alia *Iris* ceræ ſimilis, prædura: quam Horus crematam tuſamque ad ichneumonum morſus remedio eſſe, naſci autem in Perſide tradit. Similis eſt aſpectu, ſed non eiuſdem effectus, quæ vocatur *Zeros*, alba nigraque macula in tranſuerſum diſtinguente cryſtallum. Expoſitis per genera colorum principalium gemmis, reliquas literarum ordine explicabimus.

Cap. X.

De quibusdam gemmis per alphabeti ordinem.

Achates in magna fuit autoritate, nunc in nulla eſt: reperta primum in Sicilia iuxta flumen eiuſdem nominis, poſtea plurimis locis, excedens amplitudine, numeroſa varietatibus diuerſis mutantibus cognomina eius. Vocatur enim *Phaſſachates, cerachates, ſardachates, hæmachates, leucachates, dendrachates*, velut arbuſcula inſignis: *antachates*, cum vritur, myrrham redolens; *Coralloachates* guttis aureis ſapphiri modo diſtincta, qualis copioſiſſima in Creta, ſacra appellata. Putant eam contra araneorum & Scorpionum ictus prodeſſe. Quod in Siculis vtique crediderim, quoniam primum eius prouinciæ afflatu Scorpionum peſtis extinguitur, Et in India inuentæ contra eadem pollent & aliis magnis miraculis.

Reddunt enim ſpecies fluminum, nemorum & iumentorum, etiam eſſeda & ſtaticula & equorum ornamenta. Medici coticulas inde faciunt. Spectaſſe etiam prodeſſ oculis. Sitim quoque ſedant in os additæ. Phrygiæ viridia non habent. Thebis Ægyptiis repertæ carent rubentibus venis & albis. Et hæ quoque contra ſcorpiones validæ. Eadem autoritas & Cypriis eſt. Sunt qui maxime probent vitream perſpicuitatem in his. Reperiuntur & in Thracia & circa Oetam, & in Parnaſſo, & in Lesbo ac Meſſene, ſimiles limitum floribus & Rhodo. Aliæ apud Magos differentiæ. Leoninæ pelli ſimiles potentiam habere contra ſcorpiones dicuntur. In Perſis vero ſuffitu earum tempeſtates auerti, & præterea flumina ſiſti. Argumentum eſſe, ſi in feruentes cortinas additæ refrigerent: ſed vt proſint, leoninis iubis alligandas: nam hyænæ pelli ſimilem abominantur, diſcordialem domibus. Eam vero, quæ vnius coloris ſit, inuictam athletis eſſe. Argumentum eius, quod in olla plena olei cocta cum pigmentis, & intra duas horas ſuperuefacta, vnum colorem ex omnibus facit minii. *Acopis* nigro ſimilis eſt, pumicoſa, aureis guttis ſtellata. Cum hac oleum ſubferuefactum perunctis laſſitudinem, ſi credamus, ſoluit. *Alabaſtrites* naſcitur in Alabaſtro Ægypti & in Syriæ Damaſco, candore interſtincto variis coloribus. Hæc cremata cum foſſili ſale ac trita, grauitates oris & dentium extenuare dicitur. *Alectorias* vocant in ventriculis gallinaceorum inuentas, cryſtallina ſpecie, magnitudine fabæ: quibus Milonem Crotonienſem vſum in certaminibus, inuictum fuiſſe videri volunt. *Androdamas* argenti nitorem habet, vt adamas, quadrata, ſemperque teſſellis ſimilis. Magi putant nomen impoſitum ab eo, quod impetus hominum, & iracundias domet. Eadem ſit, an alia, *argyrodamas*, autores non explicant. *Antipathes* nigra non tranſlucet. Experimentum eius, ſi coquatur in lacte: facit enim hoc myrrhæ ſimile immiſſa. Eamque contra eſſaſcinationes auxiliari magi volunt. Arabica ebori ſimillima eſt & hoc videretur, niſi abnueret duritia. Putant contra dolores neruorum prodeſſe habentibus. *Aromatites* & ipſa in Arabia traditur gigni, ſed & in Ægypto circa Pyras, vbique lapidoſa, & myrrhæ coloris & odoris, ob hoc reginis frequentata. *Asbeſtos* in Arcadiæ montibus naſcitur, coloris ferrei. *Aſpilaten* Democritus in Arabia gigni tradit, ignei coloris. Eam oportere cameli pilo ſpleneticis alligari, inueniri que in nido Arabicarum alitum. Et aliam eodem nomine ibi in Leucopetra naſci argenti coloris, radiantem, contra lymphatum habendam. *Atizoen* in India & in Perſide ac Ida monte naſci tradit, argenteo nitore fulgentem, magnitudine trium digitorum, ad lenticulæ figuram, odoris iucundi, neceſſariam magis regem conſtituentibus. *Augites* non multis alia videtur eſſe, quam quæ Callais. *Amphitane* alio nomine appellatur chryſocolla, in Indiæ parte, vbi formicæ eruunt aurum, in qua inuenitur auro ſimilis quadrata figura: affirma-

tur-

turque natura eius, quæ magnetis, niſi quod trahere quoque aurum traditur. *Aphrodiſiace* ex candida rufa eſt. *Aſyctos* ſeptenis diebus calorem tenet excalfacta igni, nigra ac ponderoſa, diſtinguentibus eam venis rubentibus. Putant prodeſſe contra frigora. *Ægyptillam* Iacchus intelligit, per album ſarda nigraque vena transeunte: vulgus autem in nigra radice coeruleam facit. *Balanitæ* genera duo habent, ſubuirides, & Corinthii æris ſimilitudine. Illa Copto, hæc ex Troglodytica veniens, medias ſecante flammea vena. Coptos & Batrachitas mittit: vnam ranæ ſimilem colore: alteram ebori: tertiam rubentis e nigros Baptes, mollis alioquin, odore excellit. *Beli oculus* albicans pupillam pingit nigram, e medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur. Aliam autem quam *Belum* vocant, in Arbelis naſci Democritus tradit, nucis iuglandis magnitudine, vitrea ſpecie. *Baroptenus* ſiue *baroptis* nigra, ſanguineis & albis nodis alligata dicitur, velut portentoſa. *Botrytes* alia nigra eſt, alia pampinea, incipienti vuæ ſimilis. Zoroaſtres crinibus mulierum ſimiliorem *Boſtrychiten* vocat. *Bucardia* bubulo cordi ſimilis Babylone tantum naſcitur. *Brontia* capitibus teſtudinum ſimilis, & cum tonitruis cadens, vt putant, fulmine icta reſtinguit, ſi credimus Bolœ nimbo inueniuntur, glebæ ſimilitudine. *Cadmitis* eadem eſſet, quam *Oſtracitin* vocant: niſi quod hanc cærulæ interdum cingunt bullæ. *Callais* ſapphirum imitatur, candidior, & littoroſo mari ſimilis. *Capnites* quibusdam videtur ſuum genus habere, plurimis ſpiris fumida, vt ſuo loco diximus. In Cappadocia & in Phrygia naſcitur, ebori ſimilis. Callainas ferunt plures coniunctos ſemper inueniri. *Catochites* Corſicæ lapis eſt, cæteris maior, mirabilis, ſi vera traduntur, impoſitam manum veluti gummi retinens. *Catopyrites* in Cappadocia prouenit *Cepites* ſiue *Cepocapites*, candida eſt, venarum nodis coeuntibus, candore imaginem regerens. *Ceramites*, teſtæ colorem habet. *Cinædiæ* inueniuntur in cerebro piſcis eiuſdem nominis, candidæ & oblongæ, euentuque mirandæ, ſi modo eſt fides præſagire eas habitum maris nubilo colore aut tranquillitate. *Cerites* ceræ ſimilis eſt. *Circos* pyris: *Corſoites* canitiei hominis: *Coralloachates* corallo aureis guttis diſtinctæ: *Corallis* minio: gignitur in India & Syene. *Crateritcs* inter Chyſolitum & Electrum colorem habet, prædura naturæ. *Crocallis* ceraſum repræſentat. *Ciſſites* circa Copton naſcitur candida, & videtur intus habere partum, qui ſentiatur etiam ſtrepitu. *Calcophonos* nigra eſt, ſed illiſa æris tinnitum reddit, tragoedis, vt ſuadent, geſtanda. *Chelidoniæ* duorum ſunt generum, hirundinum colore, & altera parte purpureæ nigris interpellantibus maculis. *Chelonia* oculus eſt Indicæ teſtudinis, vel portentotiſſima magorum mendaciis. Melle enim colluto ore impoſitam linguæ futurorum diuinationem præſtare pro-

mittunt: quintadecima luna & ſilente, tota die: decreſcente vero ante ſolis ortum, cæteris diebus a prima in ſextam horam. Sunt & *Chelonitides* teſtudinum ſimiles, ex quibus ad tempeſtates ſedandas multa vaticinantur. Eo vero, quæ ſit aureis guttis, cum Scarabæo deiecta in aquam feruentem, tempeſtates auerti. *Chlorites* herbacei coloris eſt, quam dicunt magi inueniri in motacillæ auis ventre, congenitam ei: ferroque includi iubent, ad quædam prodigioſa moris ſui. *Choaſpites* a flumine dicta eſt viridis, fulgoris aurei. *Chryſolampis* in Æthiopia naſcitur pallidi coloris die, noctu ignei. *Chryſophis* aurum videtur eſſe. *Cepionides* in Æolidis Atarne, nunc pago, quondam oppido, naſcuntur, multis coloribus translucentes, alias vitreæ, alias cryſtillinæ, alias Jaſpideæ. Sed & ſordidis tantus eſt nitor, vt imagines reddant, ceu ſpecula. *Daphniam* Zoroaſtres morbis comitialibus demonſtrat. *Diadochus* beryllo ſimilis eſt. *Diphris* duplex, candida ac nigra, mas ac foemina, genitale vtriuſque ſexus diſtinguente linea. *Dionyſias* dura ac nigra miſſis rubentibus maculis: ex aqua trita ſaporem vini facit, & ebrietati reſiſtere putatur. *Draconites* ſiue *Dracontia* e cerebro fit draconum, ſed niſi viuentibus abſciſſo nunquam gemmeſcit, inuidia animalis mori ſe ſentientis. Igitur dormientibus amputant. Sotacus qui viſam eam gemmam ſibi apud regem ſcripſit, bigis vehi quærentes tradit, & viſo dracone ſpargere ſomnifica medicamenta, atque ita præcidere. Eſſe autem candore translucido, nec poſtea poliri, aut artem admittere. *Encardia* cognominatur & *cardiſce*: vna, in qua nigra effigies cordis eminet; altera eodem nomine viridi colore, cordis ſpeciem repræſentat: tertia nigrum cor oſtendit, reliqua ſui parte candida. *Enorchis* candida eſt, diuiſaque fragmentis teſtium effigiem repræſentat. *Exhebenum* Zoroaſtres ſpecioſam & candidam tradit, qua aurifices aurum poliunt. *Eriſtalis* cum ſit candida, ad inclinationes rubeſcere videtur. *Erotylos* eadem *amphicome* & *hieromnemon* a Democrito laudatur in argumentis diuinationum. *Eumeces* in Bactris naſcitur, ſilici ſimilis, & capiti ſuppoſita viſa nocturna oraculi modo reddit. *Eumetren Beligemmam*, ſanctiſſimi Deorum ſibi, Aſſyrii appellant, porracei coloris, ſuperſtitionibus gratam. *Eupetalos* quatuor colores habet, coeruleum, igneum, Minii, mali. *Eurcos* nucleo oliuæ ſimilis eſt, ſtriata concharum modo, non adeo candida. *Eurotias* ſitu videtur operire nigritiam. *Euſebes* ex eo lapide eſt, ex quo traditur Tyri in Herculis templo facta ſedes, ex qua Dii facile ſurgebant. *Epimelas ſit*, cum in candida gemma ſuperne nigricat colos. *Galaxiam* aliqui *Galactiten* vocant, ſimilem proxime dictis, ſed intercurrentibus ſanguineis aut candidis venis. *Galactites* ex vino colore lactis eſt. Eandem dicunt *leucam*, & *leucographiam* appellant, & *ſynnephiten*, tritam lactis ſucco ac ſapore notabilem. In educatione nutricibus lactis foecunditatem.

tem, infantium quoque alligata collo ſaliuam facere dicitur, in ore autem liqueſcere. Eandem memoriam adimere dicunt. Mittit eam & Achelous amnis; Sunt qui Smaragdum albis venis circumligatum galactiten vocent. *Galaicos* argyrodamanti ſimilis eſt, paulo ſordidior, inueniuntur autem binæ vel ternæ. *Gaſidanem* Medi mittunt, coloris orobini, veluti floribus ſparſam. Naſcitur & in Arbelis. Hæc quoque gemma concipere dicitur, & intra ſe partum fateri concuſſa, concipere autem trimeſtri ſpatio. *Gloſſopetra* linguæ ſimilis humanæ in terra non naſcitur, ſed deficiente luna coelo decidere, & lenocinanti neceſſaria creditur. Quod ne credamus, promiſſi quoque vanitas facit. Ventos enim ea comprimi narrant. *Gorgonia* nihil aliud eſt, quam Corallium: nominis cauſa, quod in duritiam lapidis mutatur. Emollit maria fulminibus & typhoni reſiſtere affirmant. *Genianen* eadem vanitate ininiorum poenas efficere promittunt. *Heliotropium* naſcitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, ſanguineis venis diſtincta. Cauſa nominis, quoniam deiecta in vas aquæ fulgorem ſolis accedentem percuſſu ſanguineo mutat, maxime Æthiopica. Eadem extra aquam ſpeculi modo ſolem accipit, deprehenditque defectus; ſubeuntem lunam oſtendens. Magorum impudentiæ vel manifeſtiſſimum in hac quoque exemplum eſt, quoniam admiſſa herba heliotropio, quibusdam quoque additis precationibus, gerentem conſpici negent. *Hephæſtites* quoque ſpeculi naturam habet in reddendis imaginibus, quanquam rutila. . Experimentum eſt, ſi feruentem aquam addita ſtatim refrigeret, aut ſi in ſole addita aridam materiam accendat. Naſcitur in Coryco. *Horminodes*, ex argumento viriditatis in candida gemma vel nigra, & aliquando pallida, ambiente circulo aurei coloris, appellatur. *Hexecontalithos* in parua magnitudine multicolor, hoc ſibi nomen adoptauit. Reperitur in Troglodytica regione; *Hieracites* alternat tota, miluinis nigricans veluti plumis. *Hammites* ouis piſcium ſimilis eſt, & alia velut nitro compoſita, prædura alioquin. *Hammonis cornu* inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, auro colore, arietini cornu effigiem reddens promittitur, prædiuina ſomnia repræſentare. *Hormeſion* inter gratiſſimas aſpicitur, ex igneo colore radians auro, portante ſecum in extremitatibus candidam lucem. *Hyæniæ* ex oculis Hyænæ, & ob id in vaſe inueniri dicuntur: &, ſi credimus, linguæ hominis ſubditæ, futura prædicere. *Hæmatites* in Æthiopia quidem principalis, ſed & in Arabia & Africa inuenitur, ſanguineo colore, non omittenda promiſſis ad coarguendas barbarorum inſidias. Zachalias Babylonius in his libris, quos ſcripſit ad Regem Mithridatem, humana gemmis attribuit fata; has non contentus oculorum & iocinerum medicina decoraſſe, a rege etiam aliquid petituris dedit, & litibus iudiciisque interpoſuit: in præliis etiam eas ſalutares pronuntiauit. Eſt & alia eiusdem generis, quæ vocatur *benui* ab Indis, *Xanthos* appellata

Græ-

Digitized by Google

Græcis e fuluo candidans. *Idæi Dactyli* in Creta, ferreo colore pollicem humanum exprimunt. *Icterias* aliti lurido ſimilis, ideo exiſtimatur ſalubris contra regios morbos. Eſt & alia eodem nomine liquidior. Tertia folio viridi ſimilis, latior prioribus, pene ſine pondere venis luridis. Quartum genus in eodem colore nigris venis deſcendentibus. *Iouis gemma* candida eſt, non ponderoſa, tenera. *Indica* gentium ſuarum habet nomen, ſubrufo colore, in attritu ſudorem purpureum, emanat. Alia eodem nomine candida, puluereo aſpectu. *Ion* apud Indos *violacea* eſt, ſed raro futuro colore lucet. *Lepidotes* ſquamas piſcium variis coloribus imitatur. *Lesbias* Lesbi patriæ nomen habens, inuenitur & in India. *Leucophthalmos* rutila alias, oculi ſpeciem candidam nigramque continet. *Leucopetalos* candorem niuis ex aureo diſtinguit. *Libanochros* thuris ſimilitudinem oſtendit, ſed ſuccum mellis. *Limoniates* eadem videtur, quæ Smaragdus. De *Lippare* hoc tantum traditur, ſuffita ea omnes beſtias euocari. *Lyſimachus* Rhodio marmori ſimilis eſt, aureis venis: politur ex marmore, amplitudine in anguſtias coeunte, vt inutilia exterantur. *Leucochryſos* fit Chryſolitho inter albicante. *Memnonia* qualis ſit, non traditur. *Medea* nigra eſt, a Medea illa fabuloſa inuenta: habet venas aurei coloris: ſudorem reddit croci, ſaporem autem vini. *Meconites* papauera exprimit. *Mitrax* a Perſis accepta eſt & rubri maris montibus multicolor, contra ſolem varie refulgens. *Meroctes* porracea lacte ſudat. *Morion* *Indica*, quæ nigerrimo colore translucet, vocatur *Pramnion*: in qua miſcetur & carbunculi colos, Alexandrinum: vbi Sardæ, Cyprium. Naſcitur & in Tyro & in Galatia. Xenocrates & ſub Alpibus naſci tradit. Hæ ſunt gemmæ, quæ ad ectypas ſcalpturas aptantur. *Myrrhites* Myrrhæ colorem habet, faciemque minimæ gemmæ vngenti odorem, attrita etiam Nardi. *Myrmecias* nigra habet eminentias ſimiles verrucis; *Myrſinites* melleum colorem habet, Myrti odorem. *Meſoleucos* eſt, mediam gemmam candida diſtinguente linea: *Meſomelas*, nigra vena quemlibet colorem ſecante per medium. *Naſamonites* eſt ſanguinea, nigris venis. *Nebrites* Libero patri ſacra, nomen traxit a Nebridum eius ſimilitudine. Sunt & aliæ nigræ generis eiusdem. *Nympharena* vrbis & gentis Perſicæ nomen habet, ſimilis Hippopotami dentibus. *Orca* barbari nominis, e nigro fuluoque, ac viridi & candido placet. *Ombria*, quam aliqui *notiam* vocant, ſicut Cerauniа & Brontia cadere cum imbribus & fulminibus dicitur, eundemque effectum habere, quem Brontia, narratur. Præterea in aras addita ea, traditur libamenta non amburi. *Orites* globoſa ſpecie, a quibusdam & *ſiderites* vocatur ignem non ſentiens. *Oſtracias* ſ. *Oſtracites* eſt teſtacea durior: altera Achatæ ſimilis, niſi quod Achates politura pingueſcit: duriori tanta ineſt vis, vt aliæ gemmæ ſcalpantur fragmentis eius.

Oſtra-

Digitized by Google

Oſtraciti oſtrea nomen & ſimilitudinem dedere. *Ophicardelon* Barbari vocant, nigrum colorem binis lineis albis includentibus. De *obſidiano lapide* diximus ſuperiore libro. Inueniuntur & gemmæ eodem nomine ac colore, non ſolum in Æthiopia Indiaque, ſed etiam in Samnio, vt aliqui putant, & in litoribus Hiſpanienſis Oceani. *Panchrus* fere ex omnibus coloribus conſtat. *Pangonius* non longior digito, ſed cryſtallus videatur numero plurium angulorum cauetur. *Paneros* qualis ſit, a Metrodoro non dicitur: ſed carmen Timaridis reginæ in eadem dicatum Veneri non inelegans ponit, ex quo intelligitur additam ei foecunditatem. Quidam hanc *Panſebaſton* vocant. *Ponticarum* plura ſunt genera. Eſt ſtellata nunc ſanguineis, nunc atris guttis, quæ inter ſacras habetur. Alia pro ſtellis eiusdem coloris lineas habet, alia montium conuallium effigies. *Phloginos* quem & *Chryſiten* vocant, Oſtreæ Atticæ aſſimilata inuenitur in Ægypto. *Phoenicites* ex Balani ſimilitudine appellatur. *Phycites* algæ. *Perileucos*, filo ab ore gemmæ ad radicem vſque candido deſcendente. *Pæantites*, quas quidam *gemonidas* vocant, prægnantes fieri & parere dicuntur, mederique parturientibus. Nam tales in Macedonia iuxta monumentum Tireſiæ inueniuntur, ſpecie aquæ glaciatæ. *Solis gemma* candida eſt, & ad ſpeciem ſideris in orbem fulgentes ſparſit radios. *Sagdam* Chaldæi adhæreſcentem nauibus inueniunt, praſini coloris. Samothracia inſula eiusdem nominis gemmam dat nigram, ac ſine pondere, ligno ſimilem. *Sauriten* in ventre viridis lacerti harundine diſſecti tradunt inueniri. *Sarcites* bubulas carnes præſentat. *Selenites* ex candido translucet melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos creſcentis minuentisque numero: naſcique putatur in Arabia. *Siderites* ferro ſimilis, litigio illata diſcordias facit; quæque naſcitur in Æthiopia *Sideropoecilos* ex ea fit variantibus guttis. *Spongites* ſpongiæ nomen repræſentat. *Synodontites* e cerebro piſcium eſt, qui Synodontes vocantur. *Syrtitæ* in littore ſyrtium, iam quidem & in Lucania inueniuntur e melleo colore croco refulgentes; intus autem *ſtellas* continent languidas. Syringites ſtipulæ internodio ſimilis, perpetua fiſtula cauatur. *Thrichrus* ex Africa nigra eſt, ſed tres ſuccos reddit, a radice nigrum, medio ſanguineum, ſummo candidum. *Telirrhizos* cinerei coloris aut rufi candidis radicibus ſpectatur. *Telicardios* colore cordis, Perſas, apud quos gignitur, magnopere delectat, maculamque appellant. *Thracia* trium generum eſt, viridis, aut pallidior, tertia ſanguineis guttis. *Thephrytis* nouæ lunæ ſpeciem habet curuatæ in cornua, quamuis cinerei coloris. *Tecolithos* oleæ nucleo ſimilis videtur; neque eſt ei gemmæ honos, ſed lingentium calculos frangit pellitque. *Veneris crines* nigerrimi nitoris continent in ſpeciem rufi crinis. *Veientana* Italica gemma eſt, Veiis reperta, nigram materiam di-

ſtinguente limite albo. *Zanthenem* in Media naſci Democritus tradit, electri colore, & ſi quis terat in vino palmeo & croco ceræ modo lenteſcere, odore magnæ ſuauitatis. *Zmilaces* in Euphrate naſcitur, Proconneſio marmori ſimilis, medio colore glauco. *Zoroniſios* in Indo flumine naſcitur: Magorum gemma eſſe narratur: neque aliud amplius de ea.

Cap. XI.

De Gemmis, quæ a membris hominum cognominantur, & quæ ab animalibus, & de iis, quæ a cæteris rebus.

Eſt etiamnum alia diſtinctio, quam equidem fecerim, ſubinde variata expoſitione. Siquidem a membris corporis habent nomina, *Hepatites* a iocinere, *Steatites* ſingulorum animalium adipe numeroſa. *Adadunephros* eiuſdem oculus dicitur; Deus & hic colitur Syris. *Triophthalmos* cum Onyche naſcitur, tres hominis oculos ſimul exprimens. Ab animalibus cognominantur, *carcinias* marini cancri colore, *echites* viperæ, *ſcorpites* ſcorpionis aut colore aut effigie, *ſcarites* ſcari piſcis; *triglites* muli; *ægophthalmos* caprino oculo: it, alia ſuillo; & a gruis collo *geranites*; *hieracites* accipitris. *Aetites* a colore aquilæ candicante cauda. *Myrmecites* innatam repentis formicæ effigiem habet; ſcarabæorum *cantharias*. *Lycophthalmos* quatuor eſt colorum ex rutilo ſanguinea: in medio nigrum candido cingitur, vt luporum oculi, illis per omnia ſimilis. *Taos* pauoni eſt ſimilis, it. aſpidi, quam vocari chelidoniam inuenio. Arenarum ſimilitudo eſt in *hammochryſo*, velut auro harenis miſto. *Cenchrites* milii granis velut ſparſis. *Dryites* e truncis arborum: hæc & ligni modo ardet. *Ciſſites* in candido collucet ederæ foliis, quæ totam tenent. *Narciſſites* venis etiam ederæ diſtincta. *Cyamea* nigra eſt, ſed fracta, ex ſe fabæ ſimilitudinem parit. *Pyren* ab oliuæ nucleo dicta eſt: huic aliquando ineſſe piſcium ſpinæ videntur. *Chalazias* grandinum & colorem & figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in ignem additæ ſeruare ſuum frigus. *Pyrites* nigra quidem, ſed attritu digitos adurit. *Polyzonos* nigra multis Zonis candicat. *Aſtrapiæ* in candido aut cyaneo diſcurrunt e medio fulminis radii. In *Phlegontide* intus ardere quædam videtur flamma, quæ non exeat. In *Anthracitide* ſcintillæ diſcurrere aliquando videntur. *Enhydros* ſemper rotunditatis abſolutæ, in candore eſt lenis, ſed ad motum fluctuat intus in ea veluti in ouis liquor. *Polytrix* in viridi capillatur, ſed defluuia comarum facere dicitur. Sunt & a leonis pelle & panthere nominatæ, *leontios*, *pardalios*. Colos appellauit *chryſolithum* aureus, *chryſopraſum* herbaceus, melleus *melichroto*: quamuis plura eius genera ſint, *Melichloron* eſt geminus, parte flauus, parte melleus: *Crocian* crocis

Po-

Polia canitiem quandam ſparti indicat: eandem duriorem, nigra *Spartopolios*. *Rhodites* a roſa eſt: *Melites* mali coloris, *Chalcites* æris, *Sicites* fici. Ratio nominum non eſt in *Borſycite*, in nigro ramoſa, candidis aut ſanguineis frondibus: nec gemite, velut in petra candidis manibus inter ſe complexis. *Ananchitide* in hydromantia dicunt euocari imagines deorum: *Synochitide* vmbras inferorum euocatas teneri: *Dentridite* alba defoſſa ſub arbore, quæ cædatur, ſecuris aciem non hebetari. Et ſunt multo plures, magisque monſtrificæ, quibus Barbari dedere nomina, confeſſi lapides eſſe. Nobis ſatis erit in his coarguiſſe dira mendacia.

Cap. XII.

De Gemmis naſcentibus & factitiis, & figuris gemmarum.

Gemmæ naſcuntur & repente nouæ ac ſine nominibus: vt Lampſaci in metallis aurariis vna inuenta, quæ propter pulchritudinem Alexandro Regi miſſa, vt autor eſt Theophraſtus. *Cochlides* quoque nunc vulgatiſſimæ, fiunt verius, quam naſcuntur: in Arabia repertis ingentibus glebis, melle concoqui tradunt ſeptenis diebus noctibusque ſine intermiſſione; ita omni terreno vitioſoque decuſſo purgatam puramque glebam artificum ingenio varie diſtribui in venas, ductusque macularum quam maxime vendibili ratione ſectantium: quondamque tantæ magnitudinis fecere, vt equis regum in Oriente frontalia atque prophaletis penſilia facerent. Et alias omnes gemmæ mellis decoctu niteſcunt, præcipue Corſici, in omni alio vſu acriora abhorrentes. Quæ variæ ſunt, & ad nouitatem accedere calliditate ingeniorum contigit, vt nomen vſitatum non habeant, phyſes appellant, velut ipſius naturæ admirationem in iis venditantes, cum finis nominum non ſit, quæ perſequi non equidem cogitato, innumera ex Græca vanitate conficta. Indicatis nobilibus gemmis, etiam plebeiis rarorum generum, dictu dignas diſtinxiſſe ſatis erat. Illud vero meminiſſe conueniet, in creſcentibus varie maculis ac verrucis, linearum interueniente multiplici ductu & colore, mutari ſæpius nomina in eadem plerumque materia. Nunc communiter ad omnium gemmarum obſeruationes pertinentia dicemus, opiniones ſicuti autorum. Cauæ aut extuberantes viliores videntur æqualibus. Figura oblonga maxime probatur, deinde quæ vocatur lenticula, poſtea clypeidos & rotunda: anguloſis minima gratia. Veras a falſis diſcernendi magna difficultas: quippe cum inuentum ſit, ex veris gemmis in alterius generis falſas traducere. *Sardonyches* e cenauniis glutinantur gemmis, ita vt deprehendi ars non poſſit, aliunde nigro, aliunde candido, abunde minio ſumtis omnibus in ſuo genere probatiſſimis. Quinimo etiam exſtant commentarii autorum,

quos

quos non equidem demonſtrarim,quibus ex cryſtallo tingantur Smaragdi, aliæque translucentes,ſardonyx eSarda,it.cætera ex aliis.Neque eſt vlla fraus vitæ lucroſior.

Cap. XIII.

De Ratione probandarum Gemmarum.

Nos contra rationem deprehendendi falſas demonſtrabimus, (quando etiam luxuriam aduerſus fraudes muniri decet) præter illa, quæ in principalibus quibusque generibus priuatim diximus. Translucentes matutino probari cenſent, aut, ſi neceſſe eſt, in quartam horam, poſtea vetant. Experimenta pluribus modis conſtant. Primum pondere, ſi grauiores ſentiuntur, poſt hæc corpore. Factitiis puſtulæ in profundo apparent, ſcabritia in cute, in capillamento fulgoris inconſtantia, prius quam ad oculos perueniat deſinens nitor. Decuſſi fragmenti paulum, quod in lamina ferrea teratur, efficaciſſimum experimento excuſant mangones gemmarum. Recuſant ſimiliter & limæ probationem. Obſidianæ fragmenta veras gemmas non ſcarificant. Factitiæ ſcarificationis candicantium fugiunt. Tantaque differentia eſt, vt aliæ ferro ſcalpi non poſſint; aliæ non niſi retuſo; verum omnes adamante. Plurimum vero in his terebrarum proficit feruor. Gemmiferi amnes ſunt Aceſines & Ganges: terrarum autem omnium maxime India. Et iam peractis omnibus naturæ operibus, diſcrimen quoddam rerum ipſarum atque terrarum facere conueniat. Ergo in toto orbe & quacunque cœli connexitas vergit, pulcherrima eſt omnium,rebusque merito principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix parensque mundi altera, viris, foeminis, ducibus, militibus, ſeruitiis, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus, iam ſitu ac ſalubritate coeli atque temperie; acceſſu cunctarum gentium facili, litoribus portuoſis, benigno ventorum afflatu,etenim contingit recurrentis poſitio in partem vtiliſſimam, & inter ortus occaſusque mediam aquarum copia, nemorum ſalubritate,montium articulis, ferorum animalium innocentia, ſoli fertilitate, pabuli vbertate. Quicquid eſt, quo carere vita non debeat, nuſquam eſt præſtantius: fruges,vinum,olea, vellera, lina, veſtes, iuuenci. Ne equos quidem in trigariis præferri vllos vernaculis animaduerto. Metallis auri, argenti, æris,ferri, quamdiu libuit exercere,nullis ceſſit: & iis nunc in ſe grauida pro omni dote varios ſuccos, & frugum pomorumque ſapores fundit. Ab ea, exceptis Indiæ fabuloſis, proxime quidem duxerim Hiſpaniam, quacunque ambitur mari.

FINIS.

550237

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google